


RMIr.


25



~~Uj lat. in Qu.~~

~~64.~~

R. M. Jr.  
II. 25.



793.

Duae  
ORATIONES FVNEBRES.

Item:  
LACHRIMÆ GYMNASII NEE-  
RENSIS, SVPER PRAEMATU-  
RO OBITY

MAGNIFICI, GE-  
NEROSI, ET INCOM-  
PARABILIS DOCTRINÆ ET PIE-  
tatis Domini, Domini GREGORII HORVATH,  
STANSITH, Baronis de Gradecz, Domini in  
Neerer & Schwabocz Scepusior. &c.

*Michael Ratz*  
GENEROSE NOBI-  
LISSIMÆQ; MATRONÆ, DOMI-  
NÆ EUPHROSYNÆ de SEMBER, &c. Coniugis e-  
iusdem: debitæ gratitudinis ergo collectæ,

& in lucem editæ:  
*Antonii Horvoni.* PER *Symb. Nehem 5; 19 Recordare*  
*mei, Deus mi-*

M. NICOLAVM ERHARDVM DALHE:  
Palatinum, tum Gymnasij Neerensis, nunc Scholæ  
Barphensis Rectorem

B A R T P H A E  
Daudid Guttgesel excudebat,  
M. D. XCVII.

Duæ  
ORATIONES FVNEBRES.

Item:  
LACHRIMÆ GYMNASII NEE-  
RENSIS, SVPER PRAEMATU-  
RO OBITV

MAGNIFICI, GE-  
NEROSI, ET INCOM-  
PARABILIS DOCTRINÆ ET PIE-  
tatis Domini, Domini GREGORII HORVATH,  
STANSITH, Baronis de Gradecz, Domini in  
Neérer & Schwabocz Scepusior. &c.

*Michael* <sup>AC</sup> *Pat*  
GENEROSÆ NOBI-  
LISSIMÆQ; MATRONÆ, DOMI-  
næ EVPHROSYNAE de SEMBER, &c. Coniugis e-  
iusdem: debitæ gratitudinis ergo collectæ,  
& in lucem editæ:

*Antonii Scoryoni.* PER *Symb. Nehem 5; 19 Recordare*  
*mei, Deus mihi*

M. NICOLAVM ERHARDVM DALHE:  
Palatinum, tum Gymnasij Neérensis, nunc Scholæ  
Barphensis Rectorem

B A R T P H A E  
Dauid Guttgesel excudebat,  
M. D. XCVII.

18

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO  
UNIVERSITY LIBRARIES  
2005-2006



GENERICÆ  
MAGNITUDINÆ  
SCHOLÆ BARTPHENSIÆ  
MARCO HORVATH, STANSITH, de Gradecz,  
&c. Gregorij F. discipulo suo,  
vt filio, dilecto.

M. ACADEMIA  
KÖNYVTÁRA

GENERO SÆ INDO-  
LIS, ET MAGNÆ SPEI PVERO  
MARCO HORVATH, STANSITH, de Gradecz,  
&c. Gregorij F. discipulo suo,  
vt filio, dilecto.

M. NICOLAVS ERHARDVS DALHE-  
mius Palat. Rector Scholæ Bartphenensis

S. P. D.

VEMADMODVM ISOCRATES Demonicum adolescentem ad virtutis studium excitaturus, patris Hippontici exemplum ei in mentem reuocauit: ita ego tibi, Marce fili, eodem modo & iisdem propè verbis, in literarum studiis iam versanti, fideliter præcipio: ut Magnifici & Generosi Domini parentis tui, piæ memoriae, vitæ institutum quod fuerit, subinde recordere. Domesticum enim & illustre exemplum inde habebis eorum, quæ te ad veram possint impellere virtutem. Ita enim ipse ætatem suam transegit, vt neq; virtutem negligeret, neq; ignauiae se dederet: sed, secundum veræ pietatis zelum, animum suum liberalibus studiis excoluit. Neq; pecuniam supra modum amavit: Sed bonis suis vñus est vt mortalis, & de illis ad promotionem honestarum literarum, & piæ studiosæq; iuuentutis educationem, quotannis ad sexcentos, aut circiter, florenos contribuit. Neq; verò sordidam ipse interim vitam egit: Sed & splendidus fuit, & magnificus, & benignus in amicos: ac sui, synceraq; religionis candidè studiosos, pluris fecit, quam genere sibi propinquos. Ad amicitiam etiam constituendam plus esse virium in natura, quam in lege: in moribus, quam in genere: in voluntate quam in necessitate iudicabat. Vnde factum, vt me quoq; quanquā peregrinum, & longè inferiori, quam ipse, loco natum, in numerum intimorum receperit amicorum: & biduo antequam ex

A 2

hac mi-

hac misericordia valle discederet, te mihi aliquoties iterata voce,  
totum, totum educandum & erudiendum commendarit. Ego itaque pro mea, erga dictum D. parentem tuum, fide, & erga  
amore, hasce Oratiunculas, & Carmina, in obitum vtriusque  
parentis, quanquam tenui Minerua, scripta, colligere, & tibi  
inscribere volui: cum, ut grati animi, pro multis & infinitis  
beneficiis a Dominis parentibus tuis in me collatis, indicium  
ederem: tum ut tu tanquam viuum exemplar virtutum degendae  
inde peteres: & in parentum tuorum virtutes, tanquam specu-  
lum intuitus, operam dares, ut in hoc certamine laudis tuis  
parentibus par essem: mores ipsorum pro legibus haberes: vir-  
tutemque paternam & admirareris & imitareris. Quia vero id  
fieri facile non potest, nisi aliis etiam praceptis institutisque ab-  
undes: idcirco eo tibi in primis annitendum, ut Deum timeas:  
Amplissimos & prudentissimos Dominos Tutores tuos, inclyrum  
magistratum nostrum Bartphensem obserues: praceptoribus  
obedias, eosque colas: inter condiscipulos atque sodales ita agas,  
ut illis pietatis, modestiae, constantiae, & diligentiae praeferas  
exemplum. Quod si feceris, spes me ampla tenet, fore ut cum  
tempore, spendidissimae familiæ tuae ornamento: patriæ Vngariae,  
totique Christianitati usui & utilitati: tibi vero & fratri  
Balthasaro, (quem me cum aliis honestis testibus, ex sacro  
fonte Baptismatis leuasse non ignoras.) Sororibus denique  
quarum maximam Christinam, Dominus parens p. m. i-  
psam pietatem: medium, Annam, sollicitam Martham: mini-  
nam Catharinam delicias suas appellatire solebat) honori eximi-  
os futurus. Deum, qui per Prophetam inquit: relinque  
mihi pupilos tuos, & ego faciam eos vivere (quo dicto Do-  
minus parens tuus, post obitum matris, p. m. se subinde ere-  
xit) precor, ut ipse pro infinita sua misericordia vobis omnibus  
& singulis adsit, atque ab omnibus hostibus corporis &  
animæ, bonorum & honorum clementer & potenter custodi-  
dat, protegat, defendat. Vale ex Musæo nostro die omnium  
sanctorum, hoc est. Cal: Nouembr: Anno 97.

ORATIVNCVLA  
IN FVNERE GENEROSÆ AC NO-  
bilissimæ Matronæ, Domini EUPHROSYNAE de SEM-  
BER: Magnifici ac Generosi Domini, D. Gregorij Hor-  
wath. aliter Stanisl. Baronis de Gradecz, &c. Coniugis:  
quæ cum 9. Octob. Anno 96. secundum filiolum, Bal-  
thasarem, in hanc lucem edidisset, die 25. post partum, quæ  
erat 3. Nouemb. piè & placidè ex hac vita emigravit.

Habita die 18. Nouembris, Anno 96. à M. Nicolao Erhar-  
do Dalh. P. Rectore Gymnasi Neerensis.



TAT sua cuique dies, inquit Poëta,  
Magnifici, Generosi, Nobilissimi,  
Reuerendi, amplissimi, prudentissimi,  
humanissimi & doctissimi viri,  
Stat sua cuique dies, breue & irreparabile tempus  
Omnibus est vita.

Alius item:  
Ac veluti folia arentes liquere corollas,

Quæ passim calathis strata natare vides:

Sic nobis, qui nunc magnum speramus amantes

Forsitan includet crastina fata dies.

Et Comicus: Vita est, inquit, hominum, quasi  
cum ludas tesseris. Si illud quod maximè opus est  
iactu, non cadit: illud quod cecidit fortè, id arte  
ut corrigas. Significare nimirum homines isti  
ignavi & industrij voluerunt, nihil esse homine in  
hac vita miserius, nihil afflictius! Casusque; ita incertos,  
ut quod maximè etiam optemus, id tamen  
secus cadat. Quare non incommodè Comicus

varios istos vitæ casus arte corrigendos, id est, prudentia auertendos, tolerantia, (quæ rerum humanarum, teste Cicerone, est contemptrix,) mitigandos præcepit.

Et S. quoq; Iobus ille, dies, inquit, mei velocius transierunt, quām à texente tela succiditur, & consumpti sunt absq; vlla spe. Et iterum: Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt & non viderunt bonum. Vnde vir sapiens, vmbrae, inquit, transitus est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostri, quoniam consignata est, & nemo reuertitur. Similiter Apostolus dies nostros malos esse affirmat. Hinc est, quod Moses fidelissimus ille Dei seru<sup>o</sup> cum βιογραφίαν sanctorum Dei hominum, Adæ, Seth, Enoch, & successorum reliquorum describeret, decies penè hanc clausulam repetiisse legitur: **E**t mortuus est: adeò vt ipsum etiam Matthusalem (qui quod nongentesimum etiam annum & sexagesimum nonum superasset, mortalium reliquorum phœnix, & ὑπὲκατάλογος Græcis vixisse dicitur) ab horum numero noluerit esse exemptum.

Qua proculdubio remonitos voluit vniuersos, non solum Adamum, sed alios etiam, per quos Ecclesia Dei in his terris collecta, aucta, conseruata, promota, propter transgressionem legis à sententia mortis non potuisse esse immunes. Deinde vitam, quamlibet etiam longissimam, fine

Iob. 9.

Sap. 2.

Ephe: 5.

Gen: 5. & 6.

tamen

tamen breui claudi: ita vt vita cuiuslibet, quanta sit, quantis libet annis, nihil tamen quām aura sit matutina.

Cum ergò ea sit illorum, qui longissimam in his terris vitam egerunt, ratio, vt summam tandem audiamus esle conjectam: quid nostrorum funera mirabimur? quorum ætas raro ad Sexagesimum, nunquam ad nongentesimum annum prolongatur?

Omnes profecto, siue Nobiles simus, siue ignobiles, siue docti, siue indocti, siue ciues siue rustici, vnum iste exitus manet, &, vt Poëta cecinit: Pallida mors æquo pede pulsat pauperum tabernas, regumq; turreis: Omnes ad illum Generationis simul, & mortalitatis humanæ, qui est apud Mosen catalogum pertinemus: in quo omnium vita, hoc veluti communi quodam Epiphonemate concluditur: **VIXIT ET MORTVS EST:** Ad hunc catalogum hæc quoq; pertinet, cui hodie extremum humanitatis officium præstitimus, Generosa & Nobilissima Matrona, Dñ. Euphrosyna: vixit, inquam, hæc quoque, & est mortua. Cuius ex hac ærumnosa vita discessum, si quis æquo animo ferendum, aut ideo lachrymis non prosequendum putet: quod iis deceperit temporibus, quibus propter turbas ac tumultus publicos, rumores inquam bellicos, mori inter molestias non molestum, inter curas non in tempe-

tempestium. Philippi Macedonis is audiat re-  
sponsum: quod cuidam ab Hipparchi luctu, i-  
psum reuocanti dederat: Ut ipse sibi tempestiuè  
decesserit: mihi tamen præproperè: mors enim  
illum anticipauit, priusquam beneficium à me  
accepit se dignum. Ita huius quoque Matronæ,  
Dominæ & Patronæ nostræ obitus, nobis est plus  
quàm præmaturus: nec pro beneficiis suis in nos  
collatis plurimis, immortalibus, diuinis, vlla ad-  
huc satis grati animi significatione, nedum digno  
officio est ornata. Aut si qui luctum & querimo-  
nias, à nobis alienas esse debere putent, vt qui pia  
doctrina, & docta pietate liberaliter simus instru-  
ti: ab illis hoc postulamus, permittant nos ho-  
mines esse: neq; enim vel doctrina, vel pietas af-  
fectus tollunt. Planxit Abraham Saram suam, eam  
qué fleuit: Luxit Iacobus Rebeccam suam, statu-  
itq; statuam ad sepulchrum eius: cecidit Ioseph  
super faciem patris sui ac fleuit super eum, estq; que  
eum osculat<sup>ur</sup>: filij Israël fleuerunt Mosen in cam-  
pelstribus Moab triginta diebus: Saulis & Iona-  
thæ mortem David & socij ieunantes deplorant,  
& epicedio insigni celebrant. Et Ecclesiasticus,  
fili mi, inquit, si quem contigerit mori, defle & luge  
eum, vt in dolore acerbo (nam non dolor est  
maior, quàm cùm violentia mortis vnanimi sol-  
uit corda ligata fide) & circumligato corpus eius,  
& honestè cura sepeliendum: lachrymis indulge,

& luge

& luge ex animo diem vnum aut alterum. Sed ta-  
men cùm modum luctus recta præscribat ratio:  
& Syracides in allegato iam loco, consolatio-  
ne, dicat, erige te rursus: nec D. Paulus simpli-  
citer omnem mœstitudinem & lachrymas, de iis qui  
obdormierunt, prohibeat: Sed moderari dolo-  
rem iubeat, nec ita dolere, vt gentes quæ spem re-  
surrectionis & vitæ æternæ ac beatæ nullam ha-  
bent: Ideo nos, ne lugendi modum excedamus,  
sed aliorum obitu de nostro erudiamur (certa n.  
nos quoq; mors manet, quanquam hora incerta.)  
Ego vobis benignas mihi aures præbentibus, bre-  
uissimè in memoriam reuocabo: Neq; vitæ mun-  
homini recusandum: neq; mortem florentissima  
etiam ætate formidandum. Inde ad defunctæ Do-  
minæ & Patronæ nostræ laudes progressus, finem  
faciam dicendi.

Nullum autē mihi planè est dubium Generosi,  
Nobiliss: Reuerendi, Clariss: prudentiss: huma-  
nissimi & doctissimi viri, nullum mihi est dubi-  
um, probè vos perspectas illas Sanctorum Dei ho-  
minum sapientissimas voces habere: Dauidis:  
Dico, Deus mi, ne succidas me in dimidio dierum <sup>Psalm: 102.</sup>  
meorum: Et Ezechiæ Regis: (cum dixisset ei  
propheta, præcipe domui tuæ quia morieris &  
non viues,) qui conuersa facie ad parietem, orauit  
ad Dominum dicens: Obsecro ô Iehoua: memen-  
to quæso, quod ambulauerim coram te in verita-  
te, &

Genesis 23.

Genesis 35.

Genes. 50.

Deuteron: 34.

2. Samul: 1.

Syrac: 38.

tè, & corde integro, & quod bonum est in oculis tuis fecerim: Et fleuit Hiskias fletu magno. Neq; id frustra. Nondum enim egressus fuerat Iesaias propheta ad atrium medium, cùm verbum Domini fuit ad eum dicendo: Reuertere & dic Ezechiæ, duci populi mei: Sic dixit Iehoua Deus Dauidis patris tui: audiui orationem tuam, vidi lachrymas tuas, ecce ego fano te: & addam diebus tuis quindecim annos.

Quid verò? cursussum isti viri prolongationem vitæ suę petierunt? Ideone quod vitæ huius vasa tanta cum iucunditate coniuncta! aut quod mortem reformidarent? Non certè: neq; n. id eò fecerunt, quod à natura vitæ omnibus infedit amor: mortem contrà omnes auersantur: Sed quod disertè Dauid monet: vt habitaret in domo Ieho- uæ in longitudinem dierum: vt inhabitaret in domo Domini omnibus diebus vitæ suę: vt introiret in domum Domini in holocaustis, & redderet Domino vota sua: vt opera Domini narraret: vel, vt Ezechias orauit, vt in domo Dei sacris longius vacaret cultibus, & ascenderet in domum Ieho- uæ. Proinde præter rem facere, aut extra oleas vagari, haud isti putandi sunt, qui etiam hodie vitæ suę terminum prolongari sibi, modestè à Deo deprecantur: cum sancto Iobo dicentes: parce mihi Domine, parce, quoniam nihil sunt dies mei: aut cum regio propheta Dauid: ne reuoces me Do-

me, Domine in medio dierum meorum. Siquidè præcipua hæc omnium nostrum cura esse debet, non vt citò desinamus esse, sed vt vita longius prouæcta, incipiamus esse tales, quales initio à Deo conditi eramus: vt veram nobis de Deo doctrinā comparemus, cuius quidem cognitionis in hac vita initium faciendum, vt discamus, inquam, in terris, quorū scientia perseueret nobiscum in cœlis: vt comparatam vsu & exercitio confirmemus: multis in vita prosimus: nostros educemus: iuniorum studia promoueamus, mores gubernemus.

Ac quemadmodū citra summi imperatoris voluntatem, militia abire nemini est integrum: nemini etiam stationem suam deferere iniussu Dicis licet: idq; qui tentat, is honoris sui & existimationis iacturā facit: ita neq; temerè vitę huius statio, quam Dei omnipotentis (summi vt Pythagoras, dicebat imperatoris) munere tenemus deferenda: Sed ea defendenda, conseruanda est: Id quod ipsi etiam saniores Ethnici agnouerunt. Ita enim magnus ille orator M. Cicero in somnio suo scriptum reliquit: tibi, inquiens, & piis omnibus animus est in custodia corporis retinendus: nec iniussu eius à quo ille datus, ex hominum vita est emigrandum, ne munus assignatum à Deo defugisse videamur. Nisi enim Deus isti te custodiis corporis liberarit: ad cœlos aditus non patet.

Ex paucis quæ attulimus, vitæ huius vsum  
B 2 aspernan-

aspernandum non esse apparet: iam illud fuerit perpendendum vitam quamlibet charam, quamlibet votis piis expetendam, morti tamen non semper præferendam: neq; nimium animos despondendos esse, vbi ad terminum mortalitatis, & vitæ huius caducæ deuenerimus.

Neq; verò est vt operosè huius rei rationes inquiramus, quippe quæ passim obuiæ sunt omnibus: quòd mors hæc externa perfectæ est beatitudinis initium, & malorum omnium extremum: quòd vita hæc est peregrinatio à Domino, sicut Apostolus inquit, probamus magis peregrè abesse à corpore, & præsentes esse apud Dominum: quòd est transitus ad patrem: quòd est lucrum: quòd maturior à curis, laboribus, molestiisq; decessus, in patriam cœlestem, inq; optatam nos transuehit celerius tranquillitatem. Quid quod Dei omnisapientis arbitrio omni tempore parendum? is autem suum cuiq; vitæ stadium, quod decurrat, definiuit! Homo, inquit S. Iobus, natus de muliere, breui viuens tempore &c. definiti sunt dies hominis, numerus mensium eius apud te est: constituiti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Deus creauit hominem ex limo terræ, & rursus redigit eum in puluerem: numerum dierum & tempus vitæ præscripsit illi: Item: Quilibet præstitutum habet tempus viuendi: Et Regius propheta inquit: Notum fac mihi Domine finem

2. Corinth: 5.

Ioan: 13.

Phil: 1.

Iob 14.

Syrac: 17.

Psalm: 39.  
Syrac: 37.

ne finem meum, & numerum dierum meorum quis sit? vt sciam quod esse desinam: in manibus tuis tempora mea: informem massam meam vi- Psalm: 51.  
derunt oculi tui, in libro tuo omnia scripta erant, Psalm: 139.  
dies vitæ meæ futuri, cum adhuc nullus extaret. Quid! quod non modo nihil hac vitæ cum morte permutatione amittimus: Sed in lucro id etiam meritò ponimus, cum maturè à miseriis & afflictionibus abducimur ad libertatem sempiternam. Tantis.n. malis hæc vita repleta est, vt si cum morte comparetur, hæc illius remedium, non pæna esse videatur. Rectè igitur Nazianzenus in sermone quodam funebri inquit: Hoc nobis affert longius vitæ spacium, quod plura mala partim videmus, partim sustinemus, partim perpetramus: Iustus autem, secundum Salomonem, si Sap: 4.  
morte præoccupatus fuerit, in quiete erit. Cum enim Deo placeret & dilectus esset, & inter peccatores viueret, translatus est & raptus, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio (id est, falsa doctrina & vitia) depravarent animam illius. In quarum rerum cogitatione dum sanctus etiam hæret eret Apostolus, cupio, inquit, dissolui & esse cum Christo: Et D. Augustinus Cypriani de Phil: 1.  
mortaliitatelibrum laudat in quo scriperat: propterea non solùm non esse fidelibus mortem inutilem: Sed etiam utilem reperiri, quoniam peccandi periculis, hominem subtraheret, & in non

non peccandi securitatem constitueret. Ac ideo, vt D. inquit Ambrosius, breuem hanc vitam facit Deus, vt molestiaæ illius, quæ prosperitate vinci aut tolli non poterant, temporis exiguitate finirentur. Hospites sumus in terris, & vt Apostolus loquitur, peregrinamur à Domino: patriam ergo nostram repetere cur tempestiuè à tempbstibus sublati nolimus? Non potest non ciuitatis illius cœlestis expetere domicilium, qui etiam in domo sua se peregrinum esse perpendit. Quamobrem Olympius quidam, satis putabat ad vitæ huius amorem extinguendum, dixisse: Peregrinus sum: Et alias quidam, Syluanus Episcopus quid à Deo vellet interrogatus: considerans se in his terris hospitem esse: cupere se ex hospitio migrare affirmauit.

O ergò miseros illos, qui huius vitæ illecebri irretiti patriæ veræ desiderio non tenentur! O infelices & stupidos, qui umbram corpori: mortem vitæ: exilium patriæ anteponunt. O felicissimos contrà, ô terq; quaterq; beatos, quibus in Domino mori diuinitus est concessum. O itaq; beatissimam nostram Euphrosynam, piè iam in Domino quiescentem: quæ ad utrumq; euentum ita parata fuit, vt nec vitam auersaretur longiorrem: nec ad mortem fracto animo esset maturiorrem. Cuius rei vel inde argumenta certa habere possumus, quod dum adhuc viueret, assidue Deum pro-

um pro incolumitate sua vnâ nobiscum est deprecata: & post obitum, in quadam cistella eius, vestes inuentæ sunt linteæ, quas, vt mortua iis inderetur, ipsa propriis sibi manibus præparârat.

Tametsi igitur Ampliss. suæ Reitamiliari (optimè ab ipsa dum vixit administratæ) usui esse potuisset maiori: liberos educare: in veræ pietatis rudimentis informare: miranda Dei opera nobiscum intueri, admirari, & vti solebat, deprædicare: Nunc tamen ab his miseriarum & molestiarum fluctibus exempta gaudeat: Ciuitatis istius verè ciuis, ad quam nos quoq; per mortem contendamus oportet.

Laudes verò, quas breuissimè percurrere est animus, spectatissimæ huius & Nobilissimæ Matronæ, in eo positas meritò agnoscimus, quod à parentibus & piis & nobilissimis, antiquissima nimirum & splendidissima Semberiana familia, Patre Balthasar, nata, exordia lucis huius traxit. In qua familia duos reliquit fratres vterinos, Paulum, & Stephanum, integerrimos viros: qui quo in numero demortuam hanc suam sororem habuissent, tam verbis quam lachrymis aliisq; indicis satis abunde nobis coram contestati essent, nisi per rumores & tumultus bellicos ab hoc pietatis officio exclusi fuissent. Quemadmodum autem hæc nostra, de qua nobis sermo est, Euphrosyna, piis fuit parentibus oriunda; ita piè quoq; & in vero

vero Dei timore educata: Bonus nimirum bonæ arboris fructus: qua pietatis laude apud exterorū quoq; vbi innotuisset, Magnificus & Generosus D. Gregorius Horwath ad secundas nuptias accessurus eam præ reliquis sibi à Deo vitæ sociam & thori, dari exoptauit: quam cum sibi felicissimis auspiciis iunxit, totoq; coniugij tempore vnicè charam habuisset, ex ea ceu fœcunda vite palmites quinque suscepit, Marcum, Christinam, Annam, Catharinam, Balthasarem, qui omnes adhuc per Dei gratiam superstites præmaturum Matris obitū cum mœstiss. Domino parente lugent.

De vita verò hic inter nos acta quid dicam? Quod Poëta Græcus de Iustitia cecinit, ἐν δικαιοσύνῃ συλληφθεὶς πᾶσι ἀρετῇ τι. hoc est, Iustitia in se virtutes continet omnes: Id nos ad hanc nostram non malè applicantes dicimus, ἐν δικαιοσύνῃ συλληφθεὶς ἀρετῇ τι. h.e. Et pietas in se virtutes cōtinet omnes. Ad omnium enim quibus cum vñquam egit aut conuersata est testimoniu[m] prouoco, quanta in ipsa modestia! humilitas! quanta in consiliis prudentia! quantus in administranda re familiarī labor fuerit! Quæ vigilantia! quæ assiduitas? Persuasum equidem habeo nihil ita de virtute præclarum abs me dici posse, quod non huius si non superarit, at certè adæquarit virtus? Ne qua ratione offenderetur Maritus, quo studio cauit? Dicant hi ipsi & fateantur parientes, istarum rationum

rationum multarum concij. Dicam ego: Dicant alij viui huius rei testes.

Pietas verò quanta? vidimus ipsam, viri Ampliss: vidimus conciones sacras cum Gynæcio frequentare: vidimus atq; experti sumus, quām reuerenter erga sacramenta fuerit affecta: vidimus quando cùm reliquas administras suas, tūm ipbos liberos generosos, ipsa ad exercitia Catechética diebus Dominicis adduxit. Vidimus quando natu filiam minimam Catharinam, ipsa vlnis suis ad pietatis exercitia in templum importauit. Vidimus ipsam eidem exercitio ita deditam, vt quid responderet familia attentè subaſcultaret Audiuimus quando ſæpe pientissimas voces religioso ore suo promisit: audiuimus & ſæpe pars eorum fuimus, quando aliorum necessitatibus liberaliter succurrit. Quædūm dico, non ipsam à mortalium vitiis omnino eximo, (lapsus enim & vitia circumferimus omnes, singuli suos:) Illud tantum confirmo, veram virtute promeritam vitam, vitaque longissima dignam inter nos fuisse. Sed, eheu, ſubita & impræuifa calamitas: ô ſpes hominum fragiles: ô fallacia conſilia. Hæc enim cum ſedulò ipsa faceret omnia, & in vna pietatis cogitatione, dies noctesq; animum haberet defixum, postquam, die IX. Octobr: problem quintam, filium ſecundum, in hanclucem edidiflet, qui poſtridie pōst, Christo per bapti-

C

ſnum

sum oblatus, **BALTHASAR** est dictus, in morbum  
incidit, cuius primam impressionem die 22. post  
partum experta est, quanquam principium quod-  
dam leuiter commotæ valetudinis etiam antea  
fensiisset: Hunc morbum, cum præcedente inuo-  
catione **DEI & Medicorum** cura, & singulari Do-  
mini mariti aduigilantia, sua ipsius etiam tempe-  
rantia depulisse videretur, peius iterum habere  
cœpit, nec aliis ei postea morbi quām vitæ finis  
fuit. Quo autem illa animo morbum sanguinem?   
quo mortem certam iam & imminentem tulit?  
quot quantasq; moribunda animi verè Christiani  
significationes dedit? Qua submissione pec-  
catorum suorum remissionem dari sibi à Deo pe-  
tiit! Qua veneratione præuntem Maritum, in  
precibus sacris est secuta? Quid verò? quām lar-  
gis lachrymis, cum iam finem vitæ suæ appropin-  
quare intelligeret, culpam si quam cōtra maritum  
admisisset, deprecata, eidem valedixit: Libero-  
rum etiam videndorum desiderio cum flagraret,  
eosdem aduocari petiit, quos cum singulos vero  
cordis gemitu esset intuita, data dextra eosdem  
Deo commendatos, dimisit. Sic itaq; tam reli-  
quo vitæ, quām huius morbi tempore, nihil aliud  
quām Christum Deum suum, in ore perpetuò  
cūm habuisset, ad eum, quem spirabat vnum, quo  
fidebat vno, vti minimè dubitamus, die 3. No-  
uemb. 25. post partum suum euolauit.

Hem

Hem ergò Euphrosyna, quantam quamq; iu-  
stam multis mœrendi occasionem tua morte ob-  
tulisti! Etsi tua quidem causa nihil est quod lu-  
geamus: Tu præclarè ac laudabiliter vitæ cursum  
confecisti! Tu ita honoribus maximis perfuncta  
es, vt te semper homines maioribus dignam iudi-  
carint! Tu quasuis vitæ molestias virtute constan-  
tiaq; superalsti, fregisti! Tu in ipso ætatis flore ere-  
pta, impendentia deterioris ætatis incommoda  
morte vitasti! Is cui tu soli vnicè placere semper  
voluisti D. **GREGORIVS**, & te plurimi semper fe-  
cit, vitamque tuam probauit, & mortem non mo-  
dò honorificentis: verbis, sed lachrymis etiam  
est prosecutus. Fratres tui Ampliss: viri, præma-  
turo hoc tuo discessu summo luctu sunt affecti.  
Omnium denique erga te ordinum charitatem,  
satis hæc ipsa virorum nobilium & doctiss. (ma-  
tronarum item) quæ ad cohonestandum funus  
tuum conuenit, multitudo declarat. At mœstil-  
simo Marito dolendum, cui tua deinceps consue-  
tudine, operaque est carendum. Dolendum est  
liberis, qui te dulcissima matre sunt spoliati. Do-  
lendum nobis deniq; clientibus tuis & alumnis,  
qui magnam spem in pietate tua collocaueramus,  
quibus antè es erepta, quām vel plura in nos bene-  
ficia conferres, vel pro collatis gratitudinis ali-  
quem fructum reportares. Sed omnibus in rebus  
diuinæ voluntati est acquiescendum. Dicendum

C 2 nobis

nobis cum Iobo est: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Præmisimus eam, non amisimus: ipsa quidem non redibit, sed nos, ut Dauid inquit regius, veniem⁹ ad eam. Nos h̄ic in luctu sumus: ipsa vita iam perfruitur & gloria æterna, iuxta illud Saluatoris: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: Nos, quod vnum potuimus, hunc extremum honorem tibi detulimus, & gratam tui memoriam semper colemus.

Reliquum autem est, dum iusta honorificè D. Euphrosynæ inter cælites iem agenti persoluta sunt, vt ego moestissimi Domini Gregorij: liberorum eius: fratum item defunctæ Dominae: & reliquorum consanguineorum nomine Vobis, Generosi, Nobiliss. Reuerendi, Clariss. Prudentiss. Humaniss. & doctissimi viri gratias agam, pro eo officio, cui sua in cœlis præmia proposita esse haud ignoratis: quod quidem facio, non vt vestra meretur pietas, sed vt mea hoc loco & tempore potest tenuitas. Simul verò illud etiam reuerenter & submissè à vobis contendō, vt gratam demortuæ Dominae memoriam repentes, superstitem maritum eius, liberos, atque adeò vniuersam familiam commendatam vobis & precibus vestris esse finatis; certi, quod cumulate bene dicturus sit vobis vnicus ille omnium bonorum fons Deus ter Opt: & ter M. cui nihil accidere

dere potest gratius, quām si in quibusuis calamitatibus ad ipsius solius auxilium confugiamus.

Postremò Magnificus & Generosus Dominus Gregorius etiam atq; etiam petit, vt prandio hoc lugubri G. Vestræ, R. & P. Dñes, æquis animis contentæ esse velint: & si quid defuit (quemadmodum fatetur defuisse plurima) id non nisi præsenti luctui tribuendum esse putetis. Ipse verò, vt à simili luctu omnes vos & singulos, clementiss. Deus clementer custodiat, precatur: & quicquid in se est officij & studij, id omne se vobis debere prompto animo agnoscit: & liberaliter pollicetur.

## D I X I.



C 3

ELE-



## ELEGIA,

**AD MAGNIFICVM**  
**ET GENEROSVM DOMINVM D.**  
**GREGORIVM HORVATH, aliter STANSITH, Baro-**  
**nem de Gradecz, &c. relictum Viduum, Domi-**  
**num Compatrem & Mœcenatem, omni**  
**obleruantia dignissimum.**



Vod decet & fas est, quoq; es vir Maxime dignus,  
 Ipseq; Musarum postulat æquus amor.  
 Carmina pro meritis gratam testantia mentem  
 Soluimus ad cineres Coniugis, ecce, tuæ.  
 Fortè tibi hæc pietas non est ingrata canentum,  
 Nec si restaret corpore sensus, ei,  
 Ordinar; vnde petam finem; quis cætera sermo?  
 Plurimus obstat enim luctus, vbiq; pauor.  
 Luctus vbiq; mihi, dolor obstat, mortis imago  
 Hæc me canentem fundere verba vetant.  
 Euphrosyne, ah nostros, nostros cur linquere vultus  
 Sic properas? Terris viuere nonne iuuat?  
 Omina non referent cunctis tua nomina læta:  
 Euphrosyne es: nobis non tamen Euphrosyne?  
 Euphrosyne: quoniam vitæ satiata periclis,  
 Desertis terris, regna beata petis.  
 Euphrosyne non es: quoniam fata aspera necstis,  
 Et pro lætitia, tristia quæq; seris.  
 Scilicet halanda est, sub acerbo vulnere vita  
 Omniibus: hac nati conditione sumus,  
 I præ, nos sequimur: simili nam lege ligati:  
 Omnes subq; iugum mors vocat atra suum.  
 Non virtus, non diuitiae, non fama perennis  
 Hic quenquam prohibent carpere mortis iter.  
 Omnibus una via est: Heuæq; id criminè Matris,  
 Quæ Patris fregit iussa verenda Dei.

Quare

Quare ne nimium luge: sed parce dolori  
 Inclite vir: curas suadeo pelle procul.  
 Supprime pōst luctum, non est reuocabilis iste  
 Quam semel vmbriferā nauita lintre tulit.  
 Non periit: Non e; sed renouata carne resurget,  
 Cum Iudex Christus totius orbis erit.  
 Nec mors hæc, mors e;: sed sanctis ianua vitæ,  
 Quos inter primas hæc sibi iure petit.  
 Nam dum mortali nobiscum fædere vixit,  
 Excellens virtus hanc super astra tulit.  
 Ne reliquias memorem: Viua hæc pietatis imago  
 Extitit: hæc veram prodidit ipsa fidem.  
 Prodidit ipsa fidem. Christum pietate colenti  
 Sacrumquæ verbum discere cura fuit;  
 Audiit aduigili studio præconia verbi,  
 Promiſis credens non dubitante fide.  
 Hinc eius Christi pectus feruebat amore,  
 Quem coluit precibus, nocte dieq; suis.  
 Hinc homines quoq; crevit amor studiumq; iuuandi:  
 Afflicti causam creditit esse suam.  
 Non igitur studium deērat, sumptusue, labóruue,  
 Posset vt oppressis ferre salutis opem.  
 Eius sæpè fidem nostra est experta supplex  
 Curta domi: hæc nobis commoda magna tulit.  
 Eius sæpè fidem quoq; turba scholastica sensit,  
 Sæpè eius gratis sensit Alumnus opem.  
 Ergò decus fidei raræ, pietatis & almæ  
 Assertrix, semper viuere digna magis.  
 Nulla tui nostram capient obliuia mentem,  
 Quæque potest de te mentio semper erit  
 Tu vero fatis, & sæuæ vulnere mortis  
 Victrix, cœlestiū gaudia, vinc̄ta cape.  
 Nimirum nulla est virtus tellure reposta,  
 Quæ sit præsentis certa medela necis.

Hinc

Hinc adeò cuncti morimur: nil pocula prosunt,  
Nemo Machaoniā pōst, ope turus erit.  
Vna est, quæ cunctis languoribus apta, perennem.  
Mortem aufert, V E R B I vis pretiosa Dei.  
M. Nicolaus Erhardus Dalhemius  
Pälat: Rector Gymnasij Nērens.

### Memoriæ Generosæ

#### DOMINAE EVPHROSYNAE SEMBERI ELEGIA CONSOLATORIA.

CVM subit æterni, sapientia maxima Patris,  
Humanum terris qua regit ille genus.  
Haud valet haec se, cernendo, stupenda, tenere  
Mens pia quin soluens guttura grata, sonet:  
O quam magna Dei quamque admiranda potestas.  
In mundo sanctos quando gubernat, adest.  
Qua queat, en nuper vultum diffundere, causam  
Gregorium Stanfith, fecit habere nouam,  
Sic ut gratarer'q; viro plaususque sonarem  
Sospite quod nato mansit & ipsa parens.  
Proh dolor obruitur qua rursus mole dolorum  
Post partum coniunx dum pia morte cadit.  
At quia cuncta piis vergunt in commoda non est  
Cur nimis hanc mortem, docte Patrone, fleas.  
Vosque fide sanguis firma quos iunxit amici,  
Ne lugete piam ne nimis Euphrosynen.  
Cernitis Hungaridum quid passim fiat in oris,  
Quam Thrax quam Turcus sauiat ense ferox.  
Illius in pictis volitat victoria castris,  
Christiadum turmas tristia cuncta manent.  
Pars cadit immani per tristia vulnera ferro:  
Sic ut Christiadum sanguine rura natent,  
Pars igitur teneris post tergum vincit lacertis:  
Respiciens frustra tecta domumque suam.

Cætera

Cætera turba fugæ sese commitit, vt amens,  
Aut vt montanos quæ fugit agna lupos.  
Oppida quæ fuerant quondam fortissima latis  
Mœnibus, & positu vix superanda loci,  
Iam Mahometigenis, eheu, perterrita telis,  
Viæta solent flexo succubuisse genu.  
Si quæ stant, nimio concussa quoque illa timore,  
Tradere iam vietas iam volvère manus.  
Ergo nostrarum tanto discrimine rerum,  
Rem quis felicem non putet esse mori?  
Consilium nec erat quod erat, mihi credite, vestro,  
Numine diuino quod sumus omne sumus.  
Iam quis erit subeat cui tanta audacia mentem,  
Vt neget æterno cuncta licere Deo?  
Quanto diuinum celebrat mage numen Iobum,  
Quod se soletur talibus ille modis:  
Cum fluerent nobis felicibus omnia fatis,  
Dulce fuit largi sumere dona Dei,  
Quæ sua cum repetit nostrisq; ie amplexibus aufert  
Reddere, cur nobis res sit acerba, Deo?  
Nouimus vt fuerit venerata statuta Tonantis,  
Qua Christum coluit religione fide.  
Testis ego qui res sacras recitare solebam  
Diuinos cupida quam bhibit aure sonos.  
Quem tanta coluit pietate fidéque beato  
Illiis in regno, gaudia summa capit.  
Vita quid haec? dolor est: mundus & labor: absque dolore  
Vt possis vitam viuere, viue piam.  
Viue piam vitam, nescis qua venerit hora  
Mors tua: non certo nam venit illa die.  
Omnibus est vitæ certissima meta statuta,  
Hanc hominum nulli transfilisse datur.  
Euphrosyne hanc tetigit vitam mox ergo reliquit,  
Quis poterit summi fata cauere Dei?

D

Aclices

Ac licet egisset longissima tempora vitæ  
Gustasset mortis tristia pocla tamen.  
Illa babit primæua parens, Sara atq; Rebecca  
Et quotquot prima sunt genitrice satæ.  
Nec licet æternum vester se extendat in æuum  
Luctus, ad has auras illa redire potest.  
Vos potius mundum tandem linquetis, & inter  
Cœlestes animas conspiciens eam.  
Ergò ne lachrymis aut indulgete dolori,  
Non prodest, potius inceror obesse solet.  
At tu qui legis hæc tecum, charissime lector  
Dicito quid vita hac vanius esse potest?  
Vesper adest pie Christe veni & nos erue mundo  
Ac tecum celsi transfer ad astra poli.

### E P I T A P H I V M

L Assus ad hunc venies tumulum quicunq; viator,  
Quantumuis properes siste parumper iter.  
Euphrosyna Horwathi coniux hic cara quiescit,  
Qua iactat sese Semberiana domus.  
Plura rogas & cessa: tacito me, fama loquetur,  
Haud fuerat Sara nam probitate minor.  
Vnica Christus ei spes, lux, via, vita, salusq;  
Cui soli fudit vota precesque, fuit.  
Sincero Generosi ardebat amore Mariti  
Hinc pia produxit pignora castus amor.  
Filiolos binos, pulchro tres ore puellas:  
Quas docuit summi noscere iussa Dei.  
Nutriuit castas cum Meccenate Camœnas  
Quas Strasa pro terra Phocidos alma tenet:  
Cœlica Musarum meditante statuta Patrono  
Illa viri rexit sedula rite domum.  
Vix duo cum charo transfigit lustra Marito  
Quando immatura morte peremta cadit.

Iure

Iure cohors igitur Strasæis dedita Musis  
Tam citò quod terras liquerit illa, dolet.  
At tu quisquis habes mortalia membra, viator,  
Euphrosyne viuat. dic, super astra poli.

### EPIGRAMMATA ALIQVOT

E Vphrosynæ tumba corpus requiescit in ista,  
Spiritus æthereæ viuit in arce plagæ.  
Sustulit è mediis terrarum fraudibus illam  
Ut puram Christus sisteret ante Patrem.  
Vita quid est mundi? fraus & scelus: ergò beatus  
Has terras quisquis deserit astra petit.

### A L I V D.

V Iderunt postquam Musæ lugere Patronum  
Quas pro Parnasso paruula Strasa tenet.  
In tristem fixere viri sua lumina vultum  
Ex quibus Vranie talibus vsa fuit:  
Ne fle Meccenas studiorum summe piorum  
Exemplum è sacris vir piè sume pium.  
Thesbitem fouit vatem, quod, cassa marito,  
Cum fugeret furias turba scelestæ tuas,  
Et tener est illi natus reuocatus ad auras  
Sustulerat propera quam fera Parca manu.  
Et quam pauperie tristissima fata premebant  
Effecta est oleo diues abundè suo.  
Qui velut in parua quoque nos Patrone Sarepta  
In laudem, nutritis ex pietate, Dei,  
Crede, fidesq; aderit quoq; te solabitur, ille  
Qui dederat sociam surripuitque tibi.

D 2

ALIVD

# ALIVD.

**O**ccidit Enphrosyne natum reddendo sub auras  
Nascitur vnum homo: deserit alter humum  
Arboribus magnis est nostra simillima vita,  
In quibus hoc crescit, defluit id folium.

# ALIVD.

**N**ON prece, nec precio, non flammnis, arte, nec vlo  
Arceri ferro, fata secura, queunt.  
**A**spice: latiuago, quæcunq; mouentur, in orbe,  
Omnia, sub leges, mors domat atra, suas.  
**C**onfringit subito, regalia Sceptra, potentis  
Induperatoris, trux Diadema petit.  
**C**onditione cadunt æquali, Croesus & Irus.  
Aeger, & in vegeto corpore, mente valens.  
**S**iue quis ingenuas, caput exerit acre, per artes  
Seu tua, facundæ, castra, Minerua, fugit.  
**S**plendida, quem decorat iuuenili in corpoe, forma,  
Cuius arat sentum, squallida ruga caput.  
**O**mnia præcipiti Letho, sternuntur, eandem  
Ingredimur, fatis, cuncta creata viam.  
**C**ausa infanda mali: commissum crimen, & Error,  
Qui paradytiacas, clausit acerbus, opes.  
**N**ec tamen, inuito, quisquam sua, Numine, claudit  
Fata, cadunt omnes, stantq; volente Deo.  
**F**elices teneræ licuit queis flore iuuentæ,  
Supremum, in terris, anticipare diem.  
**F**elices animæ, quas, matris ab vbere, raptas,  
Sustulit imperio, Mors violenta, suo.  
**N**os patria extorres, extrema per omnia, vitam  
Ducimus, & lachrymæ, lumina mœsta, rigant.

Heu

**H**eu mala quanta manent miseros, bella, horrida bella,  
Sæua lues, diræ mortis alumna, fames.  
**Q**uisq; suas patimur clades, crudelis vbiq;  
Imminet afflictis, luctus, vbique pauor.  
**E**xcessit terris pietas, Themis aurea mundo  
Exulat extinta est atque sepulta fides.  
**S**uccessere odium, discordia, & æmula pacis  
Rixa, simultatis semina amara serens.  
**E**t quæ mortales miseros funesta fatigant  
Singula: quis, fando commemorare, queat?  
Hanc lernam superans, optata morte, malorum,  
Ex toto cur non, asse beatus erit?  
Idq; adeò, si vita fuit, sine labe, peracta,  
Pectore si viguit, relligiosa fides.  
**Q**ualis erat, dum luce frui, sua fata, sinebant,  
Horwathiæ illustris, splendida gemma, domus.  
**S**icut apis dulci distendit nectare cellas,  
Sedula sic partas accumulauit opes.  
**A**ut metuens inopi tanquam formica senectæ,  
Construxit fidos, prouida conda, lares.  
**I**ura thori, ingenuo, seruabat casta, pudore,  
Constans, in dulcifulsit amore fides.  
**P**rästitit arcanis tranquilla silentia rebus,  
Excudit haud vñquam futilis ore sonus.  
**M**itis erat, cordata, & circumspecta, nec vñquam,  
Munificas miseris parca negauit opes.  
**S**ingula quid referam? Punctum tulit omne: nec vlla.  
Hærebat toto pectore, mica mali.  
**H**oc verò, hoc cunctas, ingenti pondere laudes,  
Exuperat, Templum, quod fuit ipsa, Dei.  
**P**ectore quod fulsit verbum, Cynosura salutis  
Vnica, supplantans in pia corda fidem.  
**H**oc curas lenire: hoc tristia fata leuare:  
Donec, in hoc fragili corpore sensus erat.

D 3

Hac

Hac subnixa fide postquam fera spicula mortis,  
Sensit, & extreum, non procul esse, diem,  
Pignora consortis generoso chara marito,  
Commendat thalami, seque animamq; Deo.  
Nunc placida, curis expers, in morte quiescit,  
Expectans redditum, Christe benigne, tuum.  
Non igitur mœstas, illustri mente, querelas  
Fundere, nec lachrymas, vir generose, decet;  
Haud ita namq; ersi nullum memorabile nomen  
Luctus habet, iusti signa doloris habet.  
Sed seruare modum, finemq; imponere curis,  
Par est, nec fixum, transiliisse scopum.  
**Quæ** Deus immeritis animo bona cuncta paterno,  
Largitur, cupido pectore, ferre placet;  
**Quæq;** Deus meritis animo bona pauca paterno  
Abstulit, irato pectore, ferre decet;  
Scilicet: hæc mundi stulta est sapientia, nam qui  
Pendet ab æterno, speq; fideq; Deo:  
**I**s causam Domino commendat, & auocat, inquit:  
Munifica dederat, quæ Deus ante manu.  
Illiū immensum, cantentur gesta, per orbem,  
Sunt bona, quæ voluit, sunt bona, quæq; facit.  
His tua te virtus solatur, talia fando,  
Inclyte vir, multis, ingeminare potes.  
Ergò graues, forti procul abiice pectore, curas,  
Damna ferat nobis, ne grauiora, dolor.  
Desine, iam luctus pauidi, & mceroris abundè est,  
Non tibi displiceant, quæ placuere Deo.  
Sic pater æternus, verbum & spirabile Numen,  
Annuat optatis, & mala cuncta leuet.  
Sic spaciū vitæ, seros extendat in annos,  
Et placida, in terris det tibi pace frui.  
Donec in æterna, rediuiuo corpore, vita,  
Augustum cinget sæta corona caput.

Matthæus Eybisch Andremontanus,  
Collega Gymnasij Neerensis.

## A L I V D.

**N**uper ut est lepidum consors enixa puellum,  
Fida tui consors, vir generose, tori.  
Carmina cunctorum plausum testantia scripsi,  
Sed gratum nostræ, carmina, mentis opus.  
Natali placuit tum nostros cernere plausus,  
Et carmen factum liberiore manu.  
Tollere de claro natam tum sanguine prolem,  
Deq; pio vitæ pectore vota dari.  
Nunc neq; congestæ laudes, nec carmine frustra  
Plausus inducti, nec data vota placent.  
**T**empora pro plausu nigrum sed scribere versum,  
Sed pia Patronæ funera flere iubent.  
Ergò tuos postquam completo tempore fructus,  
Et thalami quintum pignus amata dares:  
Non licuit thalamos vltra firmare iugales,  
Felicem sextâ non quoque prole dici;  
Sic sua cum profert, maturis mensibus, arbor  
Munera non raro fulmine tacta cadit.  
Et dolet, & nulla est hæc permutatio, fructum  
Cernere, destructo stemmate, cultor ait.  
Sic tibi quid prodest, enecto stemmate, frondes  
Et sine progeniem cernere matre tuam;  
**T**alia turbato deprompsi pectore dicta,  
Incusatis mortem iudiciumque Dei.  
Cum Pietas luctu squallenti vellicat aurem,  
Præcipit & planctus tollere, sicque refert.  
Quid nunc iura, fidem, quid pignora quina retentas,  
Quid mortem incusas, iudiciumque Dei?  
Iura, fidem, socios quondam promisit in annos,  
Seruauit firmo pectore iura, fidem.  
Pignora quina dedit diuinæ in laudis honorem,  
Quæ pura docuit mente timere D E V M.

Tum

Tum nihil est mortem quod culpes, ordine fata  
Sic, soboles claudat lumina matris, eunt.  
Denique supremi quod Patris sancta voluntas  
Ordinat, inuertit, præcipit atque facit:  
Omnia sunt Etiam, sunt Amen: & optima quæque  
Mandanti, cui fas murmura ferre Deo?  
Ergò sile, & fractum, chara de coniuge, deque  
Matre pia prolis, nunc releuare para.  
Quisquis enim duri casus solatia præbet,  
Laudandum veri præstat amoris opus.  
Hinc Generose tibi Mæcenas, nobilis Heros,  
Constat, quid gracilis nunc mea Musa velit:  
Hos elegos scripsi, quò sint lenimina luctus,  
Quos peperit sociæ mors properata tuæ.  
Ne nimio tradas te, vir Generose, dolori  
Sed verbo innitens, hunc moderare, Dei.  
Ille quidem thalami sociam qui luget adempram,  
Pignora, vel notos, non malè (credo,) facit:  
Ethnica clarorum lachrymas nam scripta virorum  
Ostendunt: lachrymas Biblica scripta docent.  
Ac remouere pios rigidas de pectore cautes,  
Et silicem, & ferri semina dura decet.  
Stoica durities sacro cum codice pugnat,  
Naturam impugnat Stoica durities.  
Ipse D E V S teneros nam seuit pectore amores,  
Diligere idcirco séque, hominemq; iubet.  
Ergò homines cum Parca ferox ad tempora vitæ  
Suprema, Omnipotens sub sua iura vocat,  
Hinc gemitus, lachrymæ, singultus, tristia dicta,  
Hoc macies, pallor, fonte, stuporq; fluunt.  
Nec quòd nunc fidam fles, Heros culte, maritam  
Culpari pietas, relligioue potest:  
Si modò non reputas, bis mortem, morte maritæ,  
Gustandamq; tibi pignoribusq; tuis.  
Te rogo lugubrem, Mæcenas inclyte, casum  
Mente, velut fas est, mente silente feras.

+

Si mea

Si mea non possunt mœstum te flectere vota,  
Totius at flectant vota, precesque scholæ.  
Huius enim Patrem, Fautorem, te esse memento,  
Cuius, &, ad luctus fracta dolore cadit.  
Si te non curas, huius sed quære salutem,  
Quæ sine te nunquam salua manere potest  
Et nunc per summum cœli, terræque Iehouam,  
Per Christum, cuius sanguine parta salus,  
Perque animam Euphrosynæ, mundi quæ rapta periclis  
Nunc habitat celsi regna beata poli:  
Terrogat (heu,) nimium mœrens ex ordine cœtus:  
Ne mortem accersas ipse, dolore, tibi.  
Qua propter totum ne te des, quæso, dolori,  
Sed soboli serua teque scholæq; tuæ.  
Et quia nos summo cunctos decet esse Parenti  
Morigeros, & te morigerum esse decet.  
Qui quod in hoc mundo fit, solus perficit, ipso  
Præcipiente, omnes nascimur & morimur.  
Fallitur, incerto qui credit singula nutu  
Ferri, & quo probet hoc nil Epicurius habet.  
Vilis vt est passer, Christus velut asserit, ales,  
Cælesti at nullus Patre vetante cadit.  
Plurimus in capitib; nostri cum vertice cirrus,  
Sit, minimus tamen hinc, nî volet ille, perit.  
Hoc quoq; te forsan, Fautor, meminisse iuuabit,  
Euphrosynæ, sociæ, quod pia vita fuit.  
Præter enim claro fuerit quod stemmate clara,  
(Stemmate nam insignis Semberiana fuit)  
Relligio luxit simplex in pectore, sanum  
Consilium, pietas, simplicitatis honos.  
Hinc pia præclaris diuinam sumptibus ædem  
Ornauit, mentem verè imitata tuam.  
Marmore de rubeo sunt baptisteria testis  
Esset quam in sacram relligiosa domum.

E

Quam

Quàm fuit excellens doctis Patrona camænis,  
Has quam propensa mente, benigna, aluit &  
Testantur clari, cultiq; abs arte Magistri,  
Totus alumnorum comprobat atq; chorus.  
Si namq; in templi quid carmina poste requirant  
Quarisi, quæ Aonidum gnaua iuuenta dedit &  
Hæc & diuinam Euphrosynæ velut indice mentem  
Monstrant, & Matris pectora larga docent.  
In sua sed porrò venerantem nomina turbam  
Quàm pia, quàm clemens, quàm Generosa fuit &  
Credidit hæc prodesse piis, succurrere lapsis  
Rem talem, mitis quam probet ipse D E V S.  
Deniq; quæ summa est solidæ pieratis imago,  
In Christi verâ cognitione obiit.  
Et nunc pro summo partus (miseranda,) dolore  
Læticiae summæ regna beata colit.  
Hæc animo reputans, Mæcenas, nobilis Heros,  
Quod D E V S imposuit fer patienter onus.  
Fer patienter onus, nam te dulcissimè quondam  
Hoc coniux, soboles, Pieridesq; rogant,  
Te precor aline D E V S, mœustum releuato maritum  
Tu verè mœstos nam releuare potes.  
Humilis huius scholæ alumnus.  
Tobias Rosenberg. Schem:

## ALIVD.

FЛЕte pij, lugete pij, date pectora planctus:  
Ingemina questus, turba Strasæa, graues.  
Omnes qui Dominum sincero corde timetis,  
Mœstitia vultus condite, tempus adest.  
Intima cur tristi turbentur viscera motu  
Quarisi & cur cruciet pectora mœsta dolor &  
Quod nimium rapidâ clausit sua lumina morte,  
Euphrosyna illustri stemmate progenita:

Gregorio

Gregorio Stansith, Generoso sanguine creto,  
Illa fuit socij, fida marita, tori:  
Esset vt adiutrix, nec non solando dolorem  
Leniret Domini, tempus in omne, sui.  
Et sic absq; mora possent perferre labores,  
Dum sibi perpetuam ferret vterque manum.  
Quamuis non multos vnâ vixere per annos,  
Egerunt placidos, & sine lite, dies.  
Nam pietas & casta fides cultiq; vigebant  
Mores ante oculos nocte dieque viri:  
Quos ipsa assiduo voluebat pectore & ore,  
Extremum vitæ tempus ad vsque suæ:  
Desidia haud turpi transmisit tempora vitæ,  
Fecit at officij munera iussa sui:  
Rebus in afflictis largè succurrerit egenis,  
Pauperibus largas apperiendo manus:  
Magna nouenarum fuerat Patrona sororum,  
Eius de natis summaque cura fuit.  
Quare cum fuerit tantæ pietatis imago,  
Accepit celso præmia digna polo.  
Et licet in tumulo recubent nunc ossa, tamen iam  
Spiritus in cœlo gaudia læta capit.

Stephanus Tamariscus Strasensis,  
Alumnus Domini Generosi.

## ALIVD.

E Vphrosyna in viuis iam desit esse Parentis  
Numine qui nutu cuncta creatu regit,  
Quam conspexit ubi Strasensis turba solutam  
Morte: statim mœsto talia corde dedit.  
O mors crudelis iuuenum cur pectora turbas &  
Mortales æqua cur rapis atq; manu &  
Nam senium magnosq; necas pariterq; iuuentam  
O mors cur nulli parcere dira soles &

E 2

Eripis

Eripis vnamis reges iuuenesque ducesque,  
Quique Deo possent cantica pulchra dare.  
Fortibus imbelles æquas nec respicis ullum  
Nobilis an quis sit : vel pietate grauis.  
Sic modò Gregorio consortem ducis ab Horwath.  
Quem claro natum stemmate Strasa tenet.  
Huic fuerat sacro & sociali foedere iuncta  
Fcemina, quam tu mors nunc trahis atra manu.  
Hæc genus illustri claro de sanguine duxit,  
Atque fuit præstans corpore & ingenio.  
Nomine se dignam gessit quod habebat in orbe  
Nam patris donum cunctipotens erat.  
Istum cum mœsto presserunt corde dolorem  
Illico vox venit talibus vsa modis.  
Quid lachrymis opus est : mors non vitabile fatum  
Cunctis primæuo de genitore satis.  
Nostis enim fragili quām simus origine ducti  
Et quōd duntaxat puluis & umbra soli.  
Est homo nam similis fceno per prata virenti,  
Mollis vt in lato qnæ rosa floret agro.  
Hanc vbi contigerint furibundi flamina venti,  
Aret & extinxit viæta colore iacet.  
At tamen huic gelidus cum ros aduenerit illam  
Fuderit atque bono dextra liquore manus:  
Surgit & attollit candardia corpora sensim,  
Atque suum laudat voce sonora Deum.  
Sic pauidæ plebi per mortem aperitur olympus  
Summi cui spes est in bonitate Dei,  
Ipsius studio qui seruat foedere summo  
Iussaque syncerâ mente verenda tener.  
Accipiunt isti solium stellantis olympi  
Atque beata ferunt gaudia sede poli.  
Omnia diuinis coluit quæ tradita libris  
Arq; Deo semper credidit Euphrosyna.  
Non hominum meritis sed Christi morte beatam  
Se fore credebat non dubitante fide.

Adde

Addo quod hæc Dominum, ceu fas est, semper amauit  
A quo perpetuo rursus amata fuit.  
Huic genuit natos percharos, pignora lecti  
Qui laudant sumnum voce precante Deum.  
Quare fulgentis concendit culmina coeli,  
Aeternum semper viuat vt ante Deum.  
Siste igitur lachrymas, & pectora tundere palmis,  
Dedita Cyrrhaeo turba Strasæa choro.  
Emmericus Zuonarich Sp. & Magnifici D. Franc. Nadasdi Alumnus.

## A L I V D.

T V Rba nouenarum quid vult sibi fusca Sororum ?  
Aut cur pro niueis squalida vela gerit ?  
Antea candenti præcingere veste solebat  
Tempora : præsentem mceror vbiique manet ?  
Sed reor Euphrosyna è viuis quod funere rapta est,  
Ex humeris nigro tela colore fluit.  
Ergo qui lachrymas mœsto non mittit ocello  
Ob mortem dominæ, faxea corda gerit.  
Nam postquam in lucem tres est enixa puellas,  
Filiolosq; duos: protinus occubuit.  
Illa genus traxit prælustri sanguine aurorum,  
Semberiæq; domus clara propago fuit.  
Nec mirum si nunc generosa palatia luctus,  
Aonidesq; sonant Pieridumq; chori.  
Namq; hæc legitimi seruabat foedera lecti  
Inuiolata : Horwath dum tibi iuncta fuit.  
Hanc quia fata vocant, ccelestibus annue fatis.  
Sit procul ergo dolor vir G E N E R O S E , tuus.  
Quid mortalis homo est ? & quid prognatus ab illo ?  
Cuius vita fluit fluminis instar aquæ.  
Nam solet umbra fugax raras vt abire sub auras,  
Testaque quæ fuerat nunc fabricata, perit:

E 3

Sic fu-

Sic fugis (heu) mortalis homo : quia vita caduca est:

Puluis es : in cinerem iam redditurus abis.

In casu hoc igitur persta **G E N E R O S E** Patronē,

In **D O M I N O Q V E** loca spemque fidemq; tuam.

Matthias Siwfkō. Sp. & Magnifici  
D. Francisci Nadasdi Alumnus.

## A L I V D.

**C V M** Status est rerum seriesq; incertior aura,  
Heu misero impendet quanta ruina homini ?  
Cur non, ô superi, manet immotumq; ratumq;.  
Hæc quicquid mundi machina vasta capit ?  
Cerne modò vitæ quam cardo volubilis erret,  
Pectore quem condit turba pusilla suo.  
Mors etenim sine lege nouissima læuit in omnes,  
Et solet extremos annumerare dies.  
Aspicit ad nullos eius violentia honores,  
Nec curam vlliis nobilitatis habet.  
Ecquid plura moror ; redeat in castra triumphi  
Victoris, quotquot scit generare solum.  
Pars mundi cui nulla vacat, sed tota tenetur  
Terra eius, tamen hunc sub sua iura trahit.  
Parcere non annis grauibus nouit nec Ephebis,  
Non etiam à forma continet illa manus.  
Sic quoq; Semberiana , suis spes vnica natis,  
Fida columna viri, morte perempta iacet.  
Non tenet hoc quisquam quantus dolor inde recurrit,  
Et sunt in vidua tristia signa domus.  
Cur fugis Euphrosyne ; quæ te dic causa coegit  
Tristis ; te Dea quæ sustulit è medio ;  
Cur linquis clarum pietate fideq; maritum ;  
Qui sacro plenum numine pectus habet.  
Te nati novitas reserata volubilis anni  
Cur non detinet, & cætera turba mouet ;

Gaudia

**Gaudia** nulla tuis præsto sunt, nulla voluptas

Esse potest, viuus spirat in ore dolor.

**E**xtingtam dulcis sœuo illam funere coniux

Deflet , nec cessant imbre madere genæ.

**I**ngemit & proles tristis, quam mille gementem

Circum errant famulæ per lata testa domus

**A**c Dominum largo gemitu & clamore sequuntur,

Amissam & Dominam voce gemente vocant.

**H**inc sequitur cœtus procerum matrumq; potentum

Alter, qui luctum pectore, mente, souet:

**C**andida nec crudo sublucent ora rubore,

Forma noui veluti marmoris esse solet.

**D**eflent Pierides, charites, Driiadesque puellæ,

Fletque Medusæ dedita turba vado.

**I**pse velut celso gemuisset culmine montis

Carpatus, horrificas extulit inde comas.

**E**t velut in lachrymas resolutus, gurgite vasto

Stridente fudit Poprad amænus aquas.

Prodiit hæc quoniam clarâ de stirpe virorum,

Et decus & facti gloria magna sui est.

**I**nnocuè vixit coluitque hæc labo remota,

Officiis homines & pietate Deum.

Prompta fuit fessis semper succurrere rebus.

Sic Musis etiam quæ meruere, tulit.

Contulit hoc illi naturæ nobile culmen,

Vt possit veris semper adesse bonis.

**H**æc grauis, hæc pia sic etiam integratis amatrix,

Donec in illius corpore sensus erat.

**O** quam sæpè suis reducem illam somnia fingent,

Conspictu optabunt colloquioque frui.

**V**os equidem fletis, sed nil iuuat : ite querelæ,

Defunctæ potius molliter ossa cubent.

Namque Deo Patri in cunctis parere necesse est,

Si qua facit, iusta is cum ratione facit.

Quicunq; ergo vides tumulum dic ossa quiescant,

Vltima dum summum finiet hora diem.

Vt

Vt veniente Dei nato acceptissima fiat

Hospes, dum referet gaudia summa poli.

Ladislaus Bartholomæi Turoensis,  
Horuathianus Alumnus.

## A L I V D.

**V**T non perpetuò lux vñica splendet in orbe,  
Sed veniunt vno mille abeunte dies.  
Gutraq; ceu nunquam de nubibus vna solutis  
Decidit, hanc plures quin comitentur aquæ.  
Sic hominum præsens fatis vrgetur acerbis  
Vnum alio semper, vita, premente malo.  
Quam primùm charæ prodit genitricis ab aluo,  
Plena malæ tantum tempora cladiis habet.  
Nunc mortis, nunc est morborum obiecta ruinis,  
Nunc alias miserè fert labefacta vices.  
Hic metuit patriæ cædem, hic incendia, terra,  
Hic timet horrendi bella cruenta Getæ.  
Quare aliud tanta nil tempestate malorum,  
Mortales penitus, quo releuentur, habent,  
Quàm placidam mœstæ metam contingere vitæ,  
Tristis & inuisum linquere lucis onus.  
Nil siquidem est aliud maturæ vñura senectæ,  
Quàm grauis & longi dura catena mali.  
Ergò tori consors quod te iam fida maritum  
Deserit, & lecti pignora chara tui,  
**H**E R O S, ne nimium magno frangare dolore,  
Sed forti tantum pectore vince malum.  
Hactenus officij partes lugendo peractæ,  
Nunc tibi spe saltem damna leuanda manent.  
Non absumpta tori periit, sed mortua, consors,  
Angelis viuit consociata choris.  
Dulce mori, pulchrumq; pia succumbere morte,  
Vita quibus magni causa doloris erat.

Præstar

Præstar enim in gelido componere membra sepulcro,

Quàm fera falcati bella videre Getæ.

Præstar & optatas patriæ contingere sedes,

Quàm mala crudeli vincla sub hoste pati.

Cur fles & cur lachrymis cur tristia contrahis ora?

Quin magis in C H R I S T O hanc spem Generose foues:

Quòd, quæ nunc moriens vitæ discedit ab vsu,

Hanc iterum C H R I S T I surgere coget amor.

Melchior Veress Horuathianus Alumnus.

## A L I V D.

**E**S T vita hæc similis bullæ quæ turget in vnda

Et fumo, in ventos qui resolutus, abit.

Euphrosyna id semper reputans pia fidaq; Stansith

Gregorij consors, coniugiiq; salus :

Iussa Dei coluit sacris quoq; dedita curis

Nil habuit verâ religione prius.

Hinc mores prauos & turpia facta perosa,

Ad laudes studium contulit omne Dei.

Curaq; prima fuit, primis formaret ab annis

Natos, vt colerent dicta sacrata Patris.

Immensum quare, Fautor Generose, dolorem

Ponere, vosq; adeò pignora chara iuuet.

Nam gremio Christi nunc morte soluta quiescit,

In quo spes semper fixa salutis erat.

Thomas Lang Barrphensis.

## A L I V D.

**H**E V mihi quàm nulla mors est medicabilis arte,

Ius in mortales cui dedit acre D E V S.

Non parcit celso regum de stemmate natis,

Induperatoris nec timet illa manus.

Aequè etiam occumbunt Generoso à sanguine creti,

Quàm quos paupertas dura subinde premit.

F

En quoq;

En quoq; Gregorij nuper suauissima coniux.  
Præproperè clausit funere rapta diem.  
Lucida quinq; hæc vix placidi lustra egerat æui,  
Et tamen ante dies funere rapta fugit.  
Heu quem Gregorio mors attulit ista dolorem?  
Quas lachrymas natis filiolis tulit?  
Sed quia supremi Patris fuit ista voluntas  
Clauderet ut summum morte soluta diem,  
Lumina ne nimium lachrymis spargatis amici,  
Nam contra arbitrium non licet ire Dei  
Cum Iobo potius celebri dicatis, amici,  
Quæ dedit omnipotens abstulit illa D E V S.  
Eius in æternos celebretur gloria soles  
In laudem domini nos decet esse pios.  
Nestoreos nobis si viuere detur in annos,  
Mortis communem cogimur ire viam  
Tu quisquis legis hæc oculo properante viator,  
Dicito mortalem te quoq; : vade, vale.

Ioannes Matern Cassouensis.

## A L I V D.

E S S E quid hoc dicam, quod sic concurrit in vnum  
Turba frequens corpus, tristiciamq; gerit?  
Illustri coeunt generis de sanguine nati,  
Spargentes lachrymis, fæmina virque genas.  
Conueniunt iuuenes fædantes lumina guttis,  
Ingenui ciues, virginemq; decus.  
Define, restat iter, cui longum, chare viator,  
Quærere, quæ cunctos iam bene nosse liquet.  
Euphrosyna illustri generis de stemmate nata,  
Gregorij coniux atq; marita, tori,  
Ad sacri fertur penetralia candida templi,  
Nempe vt condatur morte perempta solo.  
Quæ quamuis fuerat generoso sanguine cræta,  
Ornauit morum nobilitate genus,

In fa-

In famulas eadem clemens, veniæque parata,  
Nec pia pauperibus dextra negabat opem.  
Non probitate minor fuerat quam sancta Rebecca,  
Sincero metuens corde statuta Dei.  
Ergo funestæ post tristia funera mortis,  
Læticia fruitur colloquioque Dei.  
At tu qui transis animo perpende viator,  
Mortis aditum te quoque fata, vale.  
Paulus Szentwanus puer Nobili-  
lis secundæ classis Discip: f.

## A L I V D.

F L Ete Deæ, lugete Deæ, quæcunque Nerensis;  
Incolitis passim paruula tecta scholæ.  
Flete viri, lugete viri, lugete Magistri,  
Qui regitis nostræ frena tenella scholæ.  
Fleto cohors lepidis lugéque addicta camænis,  
Et quisquis Strazæ limina docta colit.  
Gregorij coniux etenim pia vestra patrona  
Heu nimis inuisa morte perempta cadit.  
Conspicitis vester tristetur ut ille patronus,  
Cui reperire pacem pannona terra nequit,  
Quod coniux superas animam spirauit in auras  
Ingenuæ fuerat, quæ pietatis amans.  
Illa quidem Sanctos inter lætissima cætus  
Gaudet, & æternum tollit ad astra D E V M.  
Vos autem orbatos tanta pietate patrona,  
Fas est tristiciæ signa referre nouæ.

Ladislaus Poturnaij puer Nobilis se-  
cundæ classis discipulus f.

## A L I V D.

S Emine ab humano quisquis generatus in orbe est,  
Cogitur is mortis succubuisse iugo. F 2 Omnes

Omnes namque sumus peccato obnoxij : & omni  
Nullus in hoc mundo labe carere potest.  
Ergo quod coniunx HORVATHI chara subiuit  
Mortem, mirari define quisquis ades.  
Desine mirari lachrymasque effundere largas,  
SEMBERIAE quisquis sanguine iunctus eras.  
Flereq; tu cessa charam Generose maritam,  
Vosque pñ EUPHROSYNÆ pignora parua tori.  
Quin potius postquam transfibitis ista legendō,  
Carmina : nos eadem, dicite, fata manent.  
Factum à Valentino Berzowiczi Nobili  
adolescente secundæ classis auditore.

## ALIVD.

E Vphrosynain terris virtutibus, ore, fideque  
Illustris : cœlis clarior en fueris.  
Nosti etenim Christum Dominum, qui luce beatâ  
Atq; fide claros iustificante facit.  
Iacobus Cornerus Landesbergensis  
Neomarchicus ad præscriptum præcep:

## ALIVD.

CAETERA qui spectas istas quoque, chare viator,  
Spectato paruas perlegitoque notas  
Hic iacet Euphrosyne generoso stemmate nata,  
Quæ fuerat magna nobilitate sata.  
Gregorij fuerat thalami quæ florida consors  
Cui genuit natos filiolasq; pias.  
Illa piam solita est semper traducere vitam,  
Fouit Strasæas ex pietate Deas.  
Ergo eius nomen meritò celebratur in orbe:  
Spiritus ætherei viuit in axe poli.  
Michael Berzowiczi puer Nobilis  
secundæ classis auditor Strasæ.

ORATIO AD FVNVS  
MAGNIFICI ET GE-  
NEROSI DOMINI, D. GREGORII  
HORVATH, STANSITH, Baronis de Gradecz, Do-  
mini in Neérer, &c. qui cùm die 4. Ianuarij, Anno  
97. hora 9. vespertina piè Christo IESV Saluatori  
suo, animam reddidisset, die 19. Ianuarij, Cal.  
veteris, in Neérer solenni modo ter-  
ræ est mandatus.



Icere me in hoc amplissimo consel-  
su vestro, & venerabili conspectu  
conantem, Spect. Magn. Generosi,  
Reuerendi, Nobilissimi, pietate,  
prudentia, doctrina, & humanitate  
spectatissimi viri: partim luctus & lachrymæ pro-  
hibent: partim verò rei negotiique deterret ma-  
gnitudo. Hodie enim dies est 62. cùm Genero-  
sam & Nobiliss. Matronam, Dominam Euphro-  
synam Semberi domus huius oculum & alterum  
quasi pedem hoc loco , hoc vultu, hac miserabili  
voce luximus: vbi ne quidem opinio nobis erat,  
secuturum tam repente firmioribus annis Mari-  
tum, M. & Generosum D. Gregorium: Sed ecce  
is sequitur, qui domus huius caput erat, qui cor,  
qui columna, cui tota domus huius structura in-  
nitezatur: Qui inopinatus planè casus, cùm non  
nihil iam sopitum, iterum excitauerit dolorem,

F 3 quem-

quemq; dies penè sanauerat, refricuerit: in quo  
tantum roboris esse poscit, vt acerbitatem hanc  
tām grauem, tamq; difficilem ferre possit? quis  
dolore non frangatur! succumbat! contabescat!  
quis non per lachrymarum vim obmutescat! aut  
cuius animus dolore percusus non ita cadat, vt  
nulla res eū ad æquitatem possit attollere! quem  
hæc moesti vestri confessus noua forma, & Domini  
& Patroni optimi desiderium non angat! dicen-  
tem non retardet! Rei verò negotiiq; magnitudo  
tanta est, vt, si vt opum & potentia, ita eruditio-  
nis ac sapientia hæredes à magnis & præclaris vi-  
ris institui possent, is demum Magn. & Generoso  
Domino nostro, cui hodie iusta facimus, idoneus  
laudator reperiatur, quem ipse sibi earum virtu-  
tum successorem esse atque hæredem voluisset.  
Nam nec in quo amplior & vberior omnium lau-  
dandarum disciplinarum seges efflouerit, nec in  
quo vis & copia dicendi maior, quam in eo exti-  
terit, ex omni memoria nostra (quod quorundam  
tamen venia dixerim) vix deligi quisquam po-  
test! Quæ quidem mihi causæ sunt, per quas ma-  
ius & difficilius onus me recepisse video, in hoc  
ornatissimo confessu, de laudibus ipsius verba fa-  
ciendi. Verùm ipse me redarguo, & animum qui  
subinde recurrit ad funus, ad Panegyricum reuo-  
co, vt non tām lamentationi quam laudationi O-  
ratio deseruiat: Siquidem mea me aliquot ab  
hinc

hinc annis suscepta aduersus eum obseruantia, vt  
id facerem adduxit: & eorum quorum imperi-  
um detrectare non poteram, authoritas coegit: i-  
psa etiam quod vix dictu credibile est, leuamen-  
to mihi atq; solatio est, difficultas.

Sed quoniam & multa mihi & præclara dicen-  
da sunt, eaq; in vnius semihoræ curriculum omnia  
concludenda ad ipsas res veniam, neq; commit-  
tam, vt ex tam breui tempore pars à me vlla in re-  
bus non necessariis consumpta videatur: Vobis  
autem (corona ornatissima) pium quidem est lu-  
gere mortuum: audire verò quæ vos imitari de-  
ceat dignum & salutare: & Deo Opt: M. hæc no-  
stra commemoratione quam fletus gloriosior. Dum  
enim pietatem pientissimè demortui Domini  
collaudamus, Dei benignitatem prædicamus &  
numen: non solum quod fessum iam, & pertæsum  
huius vitæ, ad beatæ societatis tranquillitatem ex  
hac colluuie, hisq; ærumnis euocârit: sed multò  
etiam magis quod in eodem hominis Christiani  
quasi formam quandam & imaginem effinxerit,  
virtutesq; expresserit non paucas, quarum memo-  
ria posteris quoq; præluceret. De quibus demor-  
tui nostri laudibus, dum ego, de quo ille semper  
optimè est meritus, dicere pertimesco: vnum il-  
lud me recreat ac reficit, quod eius res gestæ tamjil-  
lustres tamq; peruagatæ sunt, tamq; sua ipsæ luce  
splendescunt, vt non tam amplificandi quam per-  
cenfendi,

censendi, nec exornantis, sed indicantis munus  
expolcant.

Verum unde primum hæc mea proficietur  
oratio? Nihil hic dicam de ortu ipsius & origine:  
quam quidem traxit à fortissimo Heroe & D. Do-  
mino Marco HORVATH, patre optimo, qui ob-  
res feliciter simul & fortiter ad Sigethum gestas  
Magnatibus Incliti Vngarię regni & proceribus,  
Baronibus inquam, à Sacratiss. Cæsarea Maiesta-  
te, Inuictiss. & semper Augusto Imperatore Fer-  
dinando (quem honoris causa nomine) est asscri-  
ptus: aliisq; præterea & donis & bonis ornatus.  
Nihil etiam dicam de demortui huius Domini  
nostrī Gregorij, adolescentis ingenio atq; indole,  
quæ perinde ac ver nouum, reliquum vitæ pro-  
uentum denunciauit vberrinum. Transegit au-  
tem magnam istius ætatis partem, cum Spectabili  
& Magnifico Heroe & D. Domino Francisco de  
Nadasd, tum sibi æquali: qui huius rei testis nobis  
esse locupletissimus potest. Nam vt primū ab  
iis artibus quibus ætas puerilis ad humanitatem  
informari solet, ad grauiora studia se cōtulit, cele-  
riter antecellere omnibus ingenij gloria contigit.  
Nihil etiam dicam de benè morata ipsi iuuentu-  
te! Nihil de insigni apud Argentoratenses, & in a-  
liis etiam celeberrimis Germaniæ, Italiaæ, Galliæq;  
scholis, discendi studio: apud quos ita semper est  
versatus, vt celebritas & fama ingenij ipsius o-

mnium

mnium expectationem superaret: omnesq; qui  
aliquid de ingenii iudicare poterant, cognitione  
eum sua atq; conuersatione dignum iudicarent.  
Viuebat temporibus illis cum Iohanne illo Stur-  
mio, Oratore apud Argentoratenses celeberrimo:  
Viuebat cum D. Doctore Pappo, Theologo suño:  
Viuebat cum Theophilo Golio, philosopho: &  
quid opus est verbis? quosuis bonos cum consue-  
tudine deuinctos sibi teneret, summo afficiebatur  
honore ab omnibus. Nihil dicam de constantio-  
re iam ætate, quam per medias laudes ad hono-  
rum omnium & publicorum munera functio-  
nem euexit. Peragrata enim Germania, Italia, Sa-  
baudia, Gallia, aliisque nationibus, cùm paternos  
lares iterum salutasset, summi quidam viri, qui  
consilio & autoritate plurimum valebant, au-  
lam Cæsaream eum sequi voluerunt: quem qui-  
dem honorem facile impetrasset: cùm quod per se  
dignus videbatur: tūm gratia eorum, qui huius ei  
erant Consilij Autores. At verò ipse pro singula-  
ri ingenij sui industria, suas certas causas, easque  
non contemnendas, perpendens, intra priuatos  
parietes latere maluit: Iuxta illud Poëtæ: Benè  
qui latuit, benè vixit, & intra Fortunam debet quis-  
que manere suam. Semper autem & vbiuis, quām  
insigne fuerit sui ordinis hominibus virtutis, in-  
tegritatis, prudentiæ, Sobrietatis documentum,  
adhuc prædicant Itali, admirantur Galli, com-  
X  
beip

G

mendant

mendant Germani, fatentur Vngari, & alij finiti-  
mi populi: quorum ipse omnium eleganter po-  
tuit, & expeditè lingua loqui: iisque fidem suam,  
solertiam atque integritatem manifestissimis ar-  
gumentis comprobauit.

His instructus artibus, his præsidiis munitus,  
quid mirum est, Magn: Gener: & Egregij Domi-  
ni, si vestrūm omnium, maiorēne dicam consensi-  
one an celeritate renunciatus est, inclyti huius Co-  
mitatus Scepusiensis superioribꝫ annis VICECOMES.  
Quantꝫ Deum immortalem, tunc fuit totius No-  
bilitatis consensus? quā effusa omnium ordinum  
voluptas? quām illustre quasi signum omnibus ad  
benē sperandum de totius Comitatus negotiis vi-  
debatur esse sublatum! Neq; verò spem de se conce-  
ptam, Gregorius hic noster fefellit: cœpit enim in-  
ones officijs sui partes ita excubare, vt quod nomi-  
ne præ se ferebat, id certis rerum ac factorum firma-  
ret euentis. Animaduertebat ea, quæ Remp. con-  
cernebant partim ruinam minari, partim solida ad-  
huc esse, & firma stare: Hęc salua & integra, sarta, in-  
quam, & recta custodiuit: illa salutariconsilio, ope-  
raq; & studio fideli fulciuit, restituit, promouit.  
Quæ omnia quianotiora Vobis sunt, quām vt re-  
peti debeant, ego etiam si longiorem enumeratio-  
nem instituerem, nihil aliud præstisſe videar, quā  
vt summi huius viri laudes inopia dicendi detere-  
rem: hoc Encomio omisso, ad pietatis studium,

instructus

quod

quod in ipso erat singulare & admirandum, ora-  
tionem conuertam.

At verò verbis exprimi satis non potest, quam  
incenso semper studio, erga veram, veram inquam,  
Religionem fuerit affectus! Huius fundamentum,  
quia, non in rationis humanæ acumine, sed sacra  
scriptura, quærendum esse, piè sciebat, dies propè  
& noctes in legendis S. Bibliis consumpsit: vnde  
id est consecutꝫ, vt textum Biblicum ita sibi reddi-  
derit familiarem, vt quotiescunq; vſus postularet,  
ex meritis sacræ Scripturæ testimoniis orationes in-  
stituerit: literas ad Amicos formârīt: & ad quas-  
cunque quæſtiones expeditissimè ex sacra scriptu-  
ra responderit: aduersarios refutauerit: minus  
dextrè citantem obseruârīt, correxerit, emendârīt:  
qua quidem in parte optimo mihi iure cum Al-  
phonso Castiliæ Rege comparandus esse videtur,  
qui Biblia sacra perlegendo quatuordecies absolu-  
uisse fertur. Sacramenta quoque ita reuerenter ha-  
buit, vt ternis quibuslibet, aut quaternis septima-  
nis sacra Domini Coena vteretur: eiusque se vſu  
mirum in modum recreari & confirmari, apertis  
verbis testaretur: & eos quos in hac pietatis Chri-  
stianæ parte negligentiores videret, improbaret.

Propagandæ verò fanæ religionis studio ita  
flagravit, vt nemo vñquam magis. Cum enim vi-  
deret multos calumniis & conuitiis aduersarios  
refutaturos, ſæpe plus cladis quām prædē retulisse,

G 2

eaque

eaque ratione ipsam etiam sanam religionem male audire coepisse: aliam sibi pugnandi rationem putauit ineundam: parcendum conuitiis: abstinentum à calumniis: ad probitatis & eruditio- nis arces atq; præsidia confugiendum: nec scom- matibus sed sapientia decernendum: adolescentes, educandos, erudiendos, qui benè viuendo postea, disputandóq; cū contradicentibus conferrent, vt quos neq; exempla mouerēt, sapiens debellaret Dis- sputator, & quo vis non posset, penetraret ratio. Cuius quidem rei causa, Gymnasium hoc Neeren- se, in quoiam nos quoq; militamus, non sine maxi- mo sumptu annuo sustentauit: & nō solum doctos viros, quorum opera in hoc suo proposito vti pos- set, aliundè aduocauit, liberaliter fouit, promouit: verūm ipse et iam, nouo quodam exemplo, in Dia- lecticis, Rheticis & Ethicis præceptis feliciter iuuentutē erudiuit: accutissimēq; de materiis The ologicis disputauit: & quod maius est, tres eru- ditos Tractatus contra hæresin Sacramentariam, in specie contra Sebastianum Lamium Turbatorem Ecclesiæ Kaismarcensis, benè magno cum iudicio conscriptos, euulgauit.

O admirabilem igitur viri sapientiam: ô in- uentum salutare! ô liberalitatem liberalissimam. Frēmat licet Orcus: infaniat Caluinus: debacche- tur Zuinglius: furiat vicinus Lamius: rumpantur horum discipuli: aliud cudant Euangelium: no

uos in

uos inuehant Christos: vnus vos lacerat, ô no- turni prædones, vnus vos cruentat hic noster Gregorius: qui excitato per hasce Vngariæ par- tes iuuenum seminario, tanquam aggere fidei, vi- as vestris satellitiis interclusit: vestris vos impli- cuit retibus: & intra fines vestros, suis vos Alu- mnis oppugnauit! oppugnat, oppugnabit. O ergò virum omni prædicatione dignissimum: cuius nobis quoties memoria occurrit, toties de studio ipsius & zelo erga veram religionem, toties de sin- gulari sapientia ipsius cogitandum: qua non so- lum ætatis nostræ portenta, sed priscos etiam Ne- sterianos, Eutychetis & similia monstra refutauit atq; confecit: id quod ex scriptis ipsius, quorum iam antè facta est mentio, quæq; publicè extant, luce meridiana, omnibus rectè iudicantibus, est clarius.

Verum enim uero quamadmodum contra ve- ritatis hostes ea qua debuit fide, duce scripturâ, acerrimè temper depugnauit: ita domi quoque, & inter eos qui orthodoxis se annumerari vole- bant, vt omnia ordine & decenter, vt Apostolus inquit, fierent, elaborauit: eaque quæ vel populi, vel falsorum fratrum vitio dilapſia iam defluxerant, quantum in ipso fuit, restitu exoptauit. Quam simplici candore, ceremonias Ecclesiasti- cas, à superstitione alienas, sartas voluit atque te- cas feruatas! de quo quidem ipso proposito,

G 3

paucis

paucis ante obitum diebus, Tractatum, eumq; typis euulgandum, conscripsit! Mitto quot ipse Ecclesiis & Scholis consilium rogatus fideliter adfuerit: cuius rei testes esse ciuitates in vicinia multæ: ex Nobilitate, si res ita postularet, plurimi possent: verum ne patientissimis vestris auribus abuti videar hic iam plura non dicam: quemadmodum eam ipsam etiam ob causam de mansuetudine eius priuata, tranquillitat̄is amore, quietisque consiliis agere prohibemur.

Præcipuam autem hui<sup>o</sup> nostræ laudationis partem restare video, cum cogitationem ad eorum refero multitudinem, quos ita huius demortui Patroni nostri beneficia deuinxerē, ut ei se nec minoræ nec pauciora, quām parentibus referre testentur. Vultis aliquot hominum ordines, quantum ei debeant, percuntemur! Quid inclytus hic Comitatus Scepusiensis? Quantum hic ei debet? Plura non dicam, quām piam illam bonorum quorundam vocem, qui vbi de morte Herois huius cognouissent, C O L V M N A M comitatus concidisse apertis verbis sunt testati. Hic verò quisquis æquus esse voles æstimator, nonne quo in numero apud Comitatum fuerit, & quid ille se ei debere fateatur, nonne cognoscis! Nega si potes, columnæ alicuius ædificii collapsâ, ædificium ipsum ruinæ non esse obnoxium! At hic Dominus Gregorius, columnæ comitatus, concidit. Agno-

sce er-

sce ergò qui vir fuerit: & vt mala maiora Deus à nobis clementer auertat, nobiscum deprecare. Quid autem de illis dicam, qui Musarum castra sequuntur? Hi verò plurimum ei debent: quippe quos, quibus potuit modis ornauit, promovuit, liberaliter adiuuit: idque paterna sedulitate præstítit, vt ab his qui ex quacunque coeli plaga venientes opem eius implorassent, nihil ad securitatem, nihil ad hospitium, nihil desideraretur ad viatum. Quid verò plebei ordinis ei homines? Multa certè & infinita propè hi quoque debent, quos non minus consilio re & opera iuuit: alimenta eis, vestitum præbuit. Hinc in omni vicinia collachrymatio pauperum, & velut ad commune funus eiulatio: Hinc apud exterios liberalitas eius deprædicatur, commendatur. Misericordia viduæ illius quæ Eliam in annonæ caritate sustentauit passim in admiratione est, & prædicatur. At quantula hæc est omnis eius benignitas, si cum huius nostri Domini liberalitate conferatur: circumstantibus iis, in quos quamplurima ab hoc beneficia sunt profecta.

Tendant hic manus suas pupilli, ægrotantes, aduenæ, captiui, quos sæpe liberalitas huius subleuauit: tendant pauperes, quibus sæpe non rogatus munera distribuebat: Tendant manus Scholastici, quos non paucos, vel paupertate pressos, vel parentibus orbatos, vel patria euersa profugos, dum

gos, dum rectè literis & moribus instituerentur, attributo stipendio sustentauit. Tendant manus omnes omnium literatorum ordines: de quibus singularis etsi dicere non vacat, mihi tamen nequeo temperare, quin meo & reliquorum Docentium in Schola nostra & discentium nomine, qui voces suas in mea vnius lingua sitas esse percupiunt, immortales agam gratias, benevolentissimo patrino, cuius liberali manu ornati sumus: tutela ac præsidio defensi: auctoritate communiti: ope ac facultatibꝫ recreati: & in hoc loco extructo Gymnasio, longè plus quam meremur, honestati: & tandem multiplici beneficiorum genere subleuati.

Ob enumeratas igitur multasque alias dotes, etsi nobis qui annos viuere debebat Nestorios dignus videbatur: tamen quia ipse quoque homo peccator natus erat, stipendum autem peccati, vt Apostolus inquit, mors est: ex communi illa moriendi necessitate non potuit esse exemptus: Omnibus icilicet (secundam Poëtam Horatium) quicunque terræ munere vescimur, enauiganda, siue Reges, siue inopes erimus coloni. Eius rei exemplum quoque in hoc de mortuo Domino nostro habemus, qui vbi 26. Decembr: Anno 96. in morbum incidisset, mortalitatis suæ memor cum Deo in primis reconciliari voluit. Etsi enim paucis diebus antè, sacra coena vesus erat, tamen sequenti mox die, audita prius, hoc ipso in loco, con-

cione, præcedente Confessione & Absolutione, facræ Coenæ vsum iterauit: omnesque res suas, vota, sermones, ita composuit, vt cuperet dissolui & esse cum Christo. Aduocauit etiam omnes liberos & deuota oratione, nobis videntibus & audentibus, eisdem benè dixit: Ratione & sensibus omnibus ad finem vsque vitæ vesus, nisi quod ultimis horis sermo videbatur difficilior. Interrogatus à Re. Domino Paulo Pastore Georgiomontano, cui animam suam commendaret, respondit Deo, & Saluatori meo, præterea nemini. Cumque nos, qui tum aderamus, extremam iam eius horam aduentasse videremus, flexis genibus ad Deum orauimus: inter quas ipsas preces nostras piè placi-deq; hora 9. vespertina, die 4. Ianu: Anno 97. obdormiuit. Cui cum vestitum quo indueretur inquireremus, in quotidiana eius veste, libellum de Arte benè moriendi inuenimus: argumentum nimirum indubitatum animi prompti ad mortem atque parati.

O ergò anima beata! Enauigasti tandem ex terrarum Syrtibus, & vitæ huius Scopulos prætervecta in optatissimo portu conquiescis. Multa nobis reliquisti, quæ collaudemus: multa quæ imitemur: laboris tolerantiam: indefessam operam in cognoscendis transfigendisq; negotiis: singulari comitate conditam grauitatem: amplificandę verę Religionis studium: frugalitatem: par-

simoniam: pietatem in orando Deo: in procura-  
ndis sacris assiduitatem: æquitatem iudicio-  
rum, atq; innocentiam. Ego verò nihil magis ad-  
miror, quàm tuam mansuetudinem, nullis labe-  
factatam offenditionibus, & inauditam in quibusuis  
rebus moderationem animi: qui intemperantiam  
oderis & insolentiam: nullo honoris culmine,  
nullis adulatorum vocibus es elatus. Rerum ni-  
mirum humanarum imbecillitatem cogitabas,  
inconstantiam, fragilitatem, & ad futurum extre-  
num diem respiciebas, quo quicquid vspiam ho-  
noris, gloriæ, & celebritatis est, euaneſceret. Te  
hodie vidimus exanimem, redactum in aliorum  
mortaliū ordinem, in feretro iacentem, & de  
mundi huius gloria in tumulum abiectum: ad hunc  
scopulum, quæcunq; admirantur homines, illis  
franguntur: in hanc conditionem ac solitudinem  
redigendum quicquid in mortalium oculis enite-  
scit. Continenter piè viuenti norma mors est:  
nec vitæ stadium rectè decurrit, qui in stadij me-  
tas aspectum non defigit: Hæc laus, hic sapi-  
entiæ est apex, ea viuentem appete-  
re, quæ morienti forent ap-  
petenda.

D I X I.

E P I C E D I A  
IN OBITVM MAGNI-  
FICI ET GENEROSI DOMINI, Dñi.  
GREGORII HORVATH, Stansith, Baronis de Gra-  
decz, &c. Musarum Patroni summi & diuini: qui  
cum insigni rei literariæ, in his partibus, iactura 4.  
die Ianuarij Anno 97. ex mortali hac vita, in  
societatem gaudij cœlestis transmi-  
grauit: à variis scripta.



Orwathiaæ stirpis præclarum lumen ademptum  
Gregorium Stansith, carmina nostra gemunt.  
Natus is est fortis, te Stansith M A R C E parente,  
Virtutem historiæ cuius ad astra ferunt.

Fortis erat Marcus, bello quoq; viuida virtus:

Gregorius miles, te duce Christe, vigil.

Cæſareo Genitor prostrauerat ense Tyrannos:

Hic gladio Hæreticos, maxime Christe, tuo.

Beza mali princeps Caluini dogmatis audax,

Sensi Gregorij dicta seuera mei.

Cùm iuuenis tecum περὶ διάτης discepularet

Genuæ: tuq; malo in dogmate victus eras.

Quid referam (infandum) de vobis: quæ modo Christi

In Regno hoc cætum, Cinglica turba, grauas?

Nónne pius Stansith literis te & voce refutat?

Nónne Duce hoc claro, Cinglica turba, iaces?

O Deus Horwathium conserues stemma, regasq;

'A te vera salus non aliunde venit.

Cedeq; Balthasari, da Marco Gregorianis,

Vestigiis patriis figere, Christe, pedes.

Seuerinus Sculteti, Pastor Ecclesiæ Bartph.  
& quinq; liber. Ciuit. in superiori Vngaria,  
Senior.

# EPITAPHIVM.

**N**ON habitura fidem est, nisi stet pro teste sepulchrum  
Posteritas, tegat hic quam bona multa lapis.  
Gregorius iacet Heroum & pietatis imago:  
Maximus ille armis, maximus ille toga.  
Ille potens armis dum Caluino arma mouebat,  
Ille toga placidus, dum toga sumpta, fuit.  
Ecquis in Hungaridum tellure potentius Artes  
Nutriuit, propriis nutibus, ære, fide;  
Quis melius Christum coluit dum vita manebat?  
Aoniuæ chori gloria maior erat;  
Illum auditorem templis sacra concio vidit:  
Et vedit dantem concio sacra preces.  
Fouit amore Deum: miseris ope iuuit. & ingens  
Magnificæ columen Nobilitatis erat.  
Ergò Gregorij poterit nonesse sepultum,  
Nec mersum Stygia nobile nomen aqua.  
Toto, dum stabunt hæc templa, legetur in ævo,  
Et fiet nulla posteritate minor.

Leonhardus Mokoschinus Se-  
nior Ecclesiarum Comitatus Lipt:

## A L I V D.

**A**lme pater rerum, summi moderator olympi:  
Tuqz Deus Fili: Spiritus alme Deus:  
Te precor humani generis miseresce laborum  
Afflictio parcas, Iuppiter alme, gregi.  
Hostis adeit Turcus toto furibundus in orbe,  
Exitium nobis perniciemque parans.  
Aras conuellit sacras: tua templa prophanat:  
Plectimur ah miseri: ah indiga turba sumus.  
Multæ Dei verbum depravant dogmata purum:  
Dæmonis instinctu dogmata praua sonant.

**B**ezza est: Caluinusque: impuro Zuinglius ore:  
Fallax Tossanus: frausque, Danæ, tua.  
Sunt infinitæ sectæ, totumque per orbem  
Impia, postremo hoc tempore, bella fremunt.  
Nullus adeit finis: Sæuus cui Marsque pepercit,  
Cui sectæ: huic assert inuida Parca manus.  
Parce Deus, nostri mœroris publica causa est,  
Flemius in erepto publica damna bono.  
Publica damna puto: clarorum fata virorum,  
E quorum studiis commoda mille fluunt.  
Qualis & est nobis eruptus: causa dolendi  
Hinc manat cunctis, publica causa mali.  
Gregorius quoniam clausit sua, funere, fata,  
Horuath, quem tulerat Pannonis ora Virum.  
Vir grauis eloquio, doctrina clarus in omni,  
Dignus viuendo vincere Matthusalem.  
Cura fuit solers diuinum inquirere verbum  
Falsa & scrutari dogmata cura fuit.  
Nempe ut monstratis errorum fontibus, illis  
Continuò in promptu certa medela foret.  
Quæque erat à teneris æternæ cura salutis,  
Hæc quoque permanxit dum pia vita fuit.  
Legit enim vigili studio sacra BIBLIA, legit:  
Atque, HVNNI, voluit viuida scripta tua.  
Germanus scripsit quos PHOENIX, nempe LUTHERVS  
Possebit summa relligione TOMOS.  
Hinc ceu conspicitur nunquam sine fructibus arbor:  
Sic eius clarè conspicienda fides.  
Sique detur nostris Meritis possessio cœli:  
Cælorum dicas promeruisse domum.  
Lætus opem misero tulit, auxiliumque negabat  
Nulli: qua potuit parte iuuare, tulit.  
Quid? quod Præconum, qui Christi sacra ministrant,  
Patronus, tutor? quod Pater ipse fuit?

Hos aluit, souit, iuuit, promouit, honore  
Præuenit, texit, contribuitque bona.  
Et quis tot posset, præclaro in corpore dotes,  
    Vel quis quæ gessit commemorare bona?  
Quid iuuat hoc dices? quid tanta scientia prodest?  
    Quàm fuit? an nunc est puluis & vmbra minus?  
An minus absumi statuis putredine corpus?  
    Quod gelida tectum nunc requiescit humo?  
Non minus: ast animam mihi terque quaterque beatam,  
    Quæ nunc cœlorum gaudia summa tener.  
Quæ reliquas animas inter, ceu sydera cœlo  
    Lucet, proque bonis præmia digna capit.  
Ergo anima ô felix requies cui parta: quiete  
    Vtere: & ambiguis exue te studiis.  
Ipsa quies Deus est: Deus est & vita bonumque,  
    Vita bonumque simul: vtere vtroq; simul.  
Exutusq; hominum curis, rebusque caducis  
    HOR VATH æterno ritè fruare bono.  
Nos memores sancti studii sanctique laboris  
    Dicemus laudes GREGORIANE tuas.

M. Nicolaus Erhardus ex Dal-  
heim Palatinorum R. G. N.

QVERELA  
ECCLESIAE IMMAG-  
TVRVM OBITVM MAGNIFICI  
atq; Generosi Domini GREGORII HOR-  
VATH deplorantis.

O Pater, alme pater, nec non fidissime Rector,  
    Israël currus, Dux simul atque pater.  
Cur ita festinas, finem quid temporis ante  
    Concedens fatis, pergis ab orbe procul?

Cur ne

Cur me, quæso, tui tanta dulcedine priuas  
    Conspectus, quo nil gratius vsque fuit?  
Tu mihi post Christum fueras spes certa salutis,  
    Tu mihi præsidium, portus, & anchora eras.  
Candida ad vsque fui, primo ceu Lucifer ortu  
    Vernabat facies flore venusta suo.  
Per te abstergebam maculas de corpore turpes,  
    Rarus in egregio pectore nævus erat.  
Me quoties peteret duri violentia fati,  
    Aut capiti instaret sœua procella meo.  
Præstò aderas, doctus nexus dissoluere fraudes,  
    Eminus inq; hostis tela referre caput.  
Heu mihi nunc subito quantam sum passa ruinam:  
    Spes abiit, rapidis perdita mergor aquis.  
Non video quo iam possim consistere portu,  
    Aut quo duntaxat tuta manere loco.  
Quis mihi traducet lapsas in pristina vires?  
    Talia quis facili damna leuabit ope?  
Sit licet ipse sua præsens hic arte Machaon  
    Vix tamen optatam ferre valebit opem.  
Nec satis hoc, alicui leue quod fortasse videtur:  
    Ni mala restarent plura ferenda mihi.  
Exemplis moueor tales per sæpe ruinas,  
    Congeriem secum sustinuisse mali.  
Conuertes quounque loci tua lumina, fato  
    Horrendum dices omen inesse meo.  
Quisque suas sibi res tantùm proponit agendas  
    Commoueat ratio, quem mea nullus erit.  
Quin etiam quibus hoc fuerat præstare facultas  
    Gaudent officij non meminisse sui.  
O maria, ô tellus, lapides, ô sydera, ccelum,  
    Quisquis & in quoquam corpore sensus inest?  
Cernite, quàm fatis ratio mea agatur iniquis,  
    Et grauis immineat lerna, videte, mali.  
O si quid lachrymæ, labor, aut mea vota valerent?  
    Excirem tumulo mortua membra tuo.

Scili-

**S**cilicet ut per re transire in pristina, rursus  
Atque mihi reddi gloria prima queat.  
Spes sed it in ventos, fati nam lege tenemur,  
Quæque dies abiit nulla redire potest.

## RESPONSIOMORTVI.

**P**ARce tuos nimium maculare, Ecclesia, vultus,  
Parce, inquam : lachrymis denique pone modum,  
**T**e licet atque tuam profundas sanguine vitam,  
Non potes instantis vincere iura necis.  
**M**ortalis fueram, mortali sanguine natus,  
Mortis eò legi subiiciendus eram.  
**Q**uis fuit humano genitus de sanguine, mortis  
Qui potuit duras exuperasse manus ?  
**V**vixisse quamvis longæuæ tempora vitæ,  
Aut Matthusalis secula nouena Senis ?  
**M**e tamen hæc tandem sua sub fera vincla vocasset  
Mors, nullis vinquam parcere docta viris.  
**A**n tanti vixisse fuit, precor, haec tenus omnis  
Anne meo tantum munere nixa salus ?  
**E**xiguum satis est, tibi quod præstare dabatur,  
Officij fateor futilis umbra fuit.  
**Q**uicquid & usque tuos collatum, Mater, in usus  
Non meriti fuerat, sed pietatis opus.  
**O** si digna tuis potuisse reddere factis  
Præmia, non lentus, crede, fuisse amor.  
**Q**uodque stetisse tua me dicis parte, nitori  
Atque tuos vultus restituisse suo,  
Non mihi sed soli hæc debetur gratia Christo,  
Causa mea illius munere tuta fuit.  
**A**nne putas tibi iam fatalem incumbere casum,  
Emedio quod sim ductus ad astra tuis ?  
**S**i fueris sacri circumdata robore verbi  
Nil patro poterit te remouere loco.

Nam

**N**am Domini verbum nullo stat mobile casu,  
Fine caret, solidum iugiter atque maner.  
**O**mnia quin subito transibunt corpora lapsu  
Quicquid & hæc tellus quidquid olympus habet.  
**A**st verbum, cuius nitoris robore, dium,  
Perstabit nullo dissoluente die.  
**H**oc habeas, omni hoc ratione sequaris : ab isto  
Non unquam latum dimoueare pedem.  
**H**oc duce, te aduersus nunquam fallacibus armis  
Porræ infernales præualuisse queunt ?  
**D**extra Dei angustis non est contracta repaglis,  
Est eadem primum quæ fuit ante diem.  
**N**on similem tantum, ( quid enim hoc ? ) sed mittere longè  
Maiorem me post est potis ipse Deus.  
**H**unc modo tu quod agis votis precibusq; frequenter  
Non cesses, Mater, sollicitare tuis.  
**E**t licet auxilio spoliata te esse putabis,  
A spe ne mentem, ne reuocato tuam.  
**I**ipse suæ Christus veniet de culmine sedis,  
Et dabit optatam, cum feret usus, opem.  
**I**llius auxilio contra omnia tuta manebis,  
Hostiles spernes, mente valente, minas.  
**E**x ore infantum vitam de lacte trahentum,  
Sæpe sibi Dominus promit honoris opus.  
**N**on metuas rabiem, manibus nec fide Potentum,  
Qui præter nomen nil rationis habent.  
**F**ortunam rerum Domino committe tuarum,  
Expediat sortes, qua volet ille tuas,  
**H**umanum auxilium quoties cessare videtur,  
Tunc Deus ipse suo conspiciendus adest.  
**S**iste igitur lachrymas, sisti inquam Mater, obortas,  
Te frustra haud maceres : nam reuocare nefas.

## ECCLÉSIA.

I

NON

**N**ON ita me ratio mea iam mouet, ô pia, si te,  
Te propter possent reddere fata mihi  
Colluuius hominum Christi quæ redit honorem  
A Patre quæ Caluo nomina calua gerit.  
Dira tuo cantat capiti, tua busta lacessit,  
Conuictis famam lædit & usque tuam.  
Illa tibi (scelus) affingit, quorum pia semper  
Mens etiam secum commeminiſſe pauer.  
Hæc ut subuertas, solida & ratione refutes  
O utinam te fas esſet adesse mihi.  
Non dubito quin quem viuum timuisse coacta,  
Nec poterat vultus sustinuisse tuos.  
Hunc quoque se viua Purgantem voce paueret  
Verbaque censeret fulminis esse loco.

## M O R T V V S.

**S**piritui quamuis reditus sub membra daretur :  
Fas foret & cultæ testa redire domus.  
Hoc tamen ut facerem nunquam perpellere posse  
Ullius ratio firmaque causa viri.  
Amplius haud mundo sed sanctæ viuo Triadi,  
Quam colui fidei iustificantis ope.  
Conspictu Christi fructus Angelicæque cohortis,  
Quique trophæa canit, suspicio ora, chori.  
Quæ supra captum gustavi pabula verbi  
Nunc plene cœlis haurio ab ore Dei  
Cœnâ qui Christi natiuum corpus edatur,  
Verus homo, æternus qui Deus esse queat.  
Vnus & in Trino sit quomodo Trinus in Vno,  
Iam tandem solida percipere arte datur.  
Gaudia nunc capio, soli sit gloria Christo,  
Qualia nullius sunt oculo hausta viri.  
Qualia nec percepta hominis sunt auribus unquam,  
Prendere nec gremio mens, licet ampla, potest

Nil va-

**N**il valet hic mundus, video, nil gloria mundi,  
Cœlesti nullis æquiparanda modis.  
Méne bonis mutare voles cœlestia regna,  
Illiſ quæ perhibet fama fuisse Midæ ?  
Hostica num rabies tanti est, hac arce relicta  
Ut subeam gremium, reprobe munde, tuum ?  
Artibus annē nouis hæc gens instare videtur ?  
Aut, quæ non olim trita sit, ire viam ?  
Patris in hoc Satanae studiis defixa tenetur  
Illiſ totam se applicat ingenio,  
Ut Pater ipse fuit primæua ab origine mendax  
Sic soboles simili gaudet abire via.  
Quæ doctrina fuit, quæ mens, sententia, sensus,  
Viuentis, post me scripta relicta docent.  
Cui dederam nomen lustratus flumine sacro,  
Huic studij semper sustinuisse fidem.  
**N**omine pro istius (rumpantur ut ilia Codro)  
Hoc gessi semper Martia signa, Duce,  
Vnica cura fuit constanti pectore iussa,  
Ex Israëlis fontibus hausta, sequi.  
Semper ab humana glossas ratione profectas,  
Peiori duxi, quam canis, esse loco.  
Nil Caluine tuum : nil Zwingli dogma putauit:  
Nil usu longo, cognite Beza, tuum :  
Non minus auersa fugiebam mente scelestus,  
Quæ latia condit iussa Lycanon humo.  
Quis modus extiterit vitæ ratione peractæ  
Non sunt præsenti commémoranda loco.  
Non modo quos mecum constat vixisse frequenter,  
Aut mea quos habuit ad tria lustra domus:  
Sed quoqne tu nosti mentiri nescia Mater,  
Atque alij quorum pectora candor habet.  
Næ quia cura fuit venerandi ad iussa Parentis  
Usque modum vitæ composuisse meæ:

I 2

Quid

Quid quærit tandem s<sup>t</sup> me quid gens improla culpat s<sup>t</sup>  
 Quæque mihi obiiciat crimina nunquid habet s<sup>t</sup>  
 Cur nunquam viuum culpare aggressa, putauit  
     Si tantum factis crimen inesse meis s<sup>t</sup>  
 Se potius videat moneo, næuosque suorum  
     Non culpare alium, quæ facit ipsa, decet.  
 Non ego sum quicquam moriens miserabile passus,  
     Nec subi<sup>n</sup> æterno triste dolore nefas.  
 Aetherei non me percussit fulminis i<sup>c</sup>stus,  
     Nec moui noto iurgia fœda Deo.  
 Nec, veluti quidam, Christo fera nuncia misi  
     Degener, in<sup>c</sup>gr Arij castra nefanda abiij:  
 Inter vota Deo & suspiria reddita Christo,  
     Deposit placidè debile carnis onus.  
 Illius in gremio vitam nunc viuo beatam,  
     Et plena, absque modo, gaudia lætus ago.  
 Nec iam aliud cupio, quam summæ fata diei,  
     Qua dabit acceptos buccina fera sonos :  
 Ossa vt ab exesia tandem reuocata sepulchris  
     In loca cœlestis plena decoris eant.  
 Huc etiam (quod agis) tu Mater munere Christi  
     Aspires : mundi semina vana fuge.  
 Hosce canes, quantum poteris, latrare relinque,  
     Non benè, scis, mendax dicere lingua potest.  
 Haud ita res ibit : mutato cardine rerum,  
     Suscipiet cauسام nam Deus ipse suam.

Ioannes Zaborski Prouisor  
 Neerensis f.

## ALIVD.

**G**REGORIUM tegit hæc rupes post fata sepultum,  
 Horwath, qui Stansith dictus in orbe fuit.  
 Horwath Marcus erat pater illius, alter Achilles,  
 Illyricos inter gloria prima viros.

Armis

Armis nam rigidis Solimannica contudit arma,  
     A Sigetho Turcos repulit atque truces,  
 Extincto genitore licet Germanidos vrbes  
     Lustrarit, nec non iura sacrata soli.  
 Argentina dedit sedes cui prima, sacrisque  
     Erudiit studiis, moribus, arte, fide.  
 Charus erat Iuueni longis conuictibus æui  
     Sturmius & contra charior ille Seni.  
 Charior at Pappo, quem religione secutus,  
     Fallacem Sturmij credit esse fidem.  
 Hinc Geneuam veniens Bezanis vocibus aures,  
     Nec non præbebat, Calue Danæ, tibi :  
 Hinc, anni media labentis parte peracta  
     Iuit in Euganeas territus ille Scholas.  
 Dumque sacrosanctis sic doctus in artibus esset,  
     Vt posset patriæ commodus esse suæ.  
 Ad patrios remeans magna cum laude penates,  
     Adduxit Musas ex Helicone Strasam.  
 Gymnasium quibus extruxit, quas sumtibus amplis  
     Extremum vitæ fouit ad usque diem.  
 Impleuitque viris summa pietate fideque,  
     Quorum nunc etiam nomina magna vigent.  
 Cum quibus Aonios, (an non mirabile s<sup>t</sup>) ludos  
     Intrabat veræ Nobilitatis apex.  
 Et rude præclara pectus formabat in arte,  
     Præcipue pura religione Dei.  
 Qui latuere prius sancti sub pelle Lutheri,  
     Ipsius noti voce suere, lupi.  
 Neue quid addubites, est testis Lamius hostis,  
     Lamius ingenio turgidus, ore procox.  
 Cuius saepè fidem concusit fulmine verbi,  
     Fulmine quod Caluus sustinuisse nequit.  
 Sunt testes libri, quorum si nomina demas,  
     Humanæ scriptum mentis id esse neges.

13

Magna

Magna quidem sunt hæc, sed quæ non magna videntur,  
Diuini videas si pia corda viri.  
Forsitan audacter faciam : sed nobile pectus  
Non magis in terris iuro fuisse pium.  
Parcite quæso viri non laudes detrahit ulli,  
Sed de Gregorio Musa locuta mea est.  
Siue domi siue ille fuit peregrinus in oris  
Delicias habuit verba sacrata Dei.  
Primus in æde fuit, postremus ab æde recessit,  
Perpetuò fundens feruida vota Patri.  
Nec pudor ullus erat Cantoribus addere vocem,  
Vocibus & iunctis concelebrare Deum.  
Ergo prius celsi moles ruet aurea cœli,  
Et cineres flammis terra perusta dabit.  
Quam pia Gregorij moriatur gloria Stansith,  
Gloria virtutis tempus in omne viget.  
In tali cursu virtutum (dicite ohe ohe)  
Clausit ohe Vngaridum luxque decusque, diem.  
Octo lustra sui nondum transegerat æui,  
Cum nimis inuisa morte peremptus obit.  
Nomen in orbe, Deo mens reddit, viuit, in astris,  
Osca sub hoc tumulo non peritura cubant.

## SEQVNTVR EPI- GRAMMATA.

GR Egorius postquam est ad sidera morte vocatus,  
Agria, proh cecidit fama, secunda, refert.  
Prima fuit nostræ murus sed fictilis oræ,  
Agria, at hæc fidei spiritualis erat.  
Vtraque quid fieri ruvit Agria, dicite vates,  
Præsidium fidei præsidiumque soli.

## ALIVD.

Terror

TERror eram Calui, Papæ osor, amicus Iesu,  
Protexi cœtum voce manuque Dei.  
Sumtibus erexi magnum souique Lycaeum,  
Quo coluit Christi turba professa fidem.  
Hostes morte mea fremitum plausumque sonabant  
Sed cœtus lachrymis immaduere Dei.

## ALIVD.

OCCubuit Stansith, Calui gaudete Sophistæ,  
Ore suo qui vos terruit unus erat.  
Iam licet in filiuam vobis procedere arenam  
Cornua iam vobis sumere magna licet.

## ALIVD.

CALUE quid exultas ? nescis consurgere Christum,  
Humanum quoties deficit auxilium.  
Spicula iam rapuit sæuo iam fulminat ense  
Ni conuerteris te tuaque ora peter.

## ALIVD.

VIDIT ut Horwathum properata morte peremptum  
Poprad qui Strasæ paruula rura rigat:  
Constitit, & mittens fracta sub arundine crines,  
Concussit madidum saxa per atra caput.  
Vix tandem aspiciens oculis squalentibus aulam  
Turbatis rursus leniter ibat aquis.

## ALIVD.

FALLERIS Horwathum prorsus qui credis ademptum,  
Sit licet extinctus viuit ab exequiis.  
Nam quia defendit, coluit, nutriuit, amauit,  
Aonidas Musas Pieridumque choros, Illius

Illius laudes nomenq; celebre manebit,  
Dum Popradus nullas siccus habebit aquas.  
Paulus Malus, tum Collega Gymnasij  
Neerens: nunc R. Scholæ Moscho:

## A L I V D.

Ergo domus rursum querulas turbata Nerensis  
Exercet voces tristia fata dolens?  
Nec satis est nuper fatali numine matrem  
Ammissam lachrymis condecorasse piis:  
Quin etiam cœtus Rector, seruator, & auctor  
Consequitur sociam, Dux gregis ille pius.  
Si quis inest animo scribendi carminis ardor,  
Laudibus incipiat concelebrare virum.  
Dignum laude virum prohibit reticere Camœna,  
Sed dotes animi commemorare iubent.  
Non referam generis seriem, nec origine clarâ,  
Eximios, natum qui genuere, patres:  
Sed magis ingenij quantis virtutibus auctus  
Tristia, quæ celebrent, carmina Musa dabit.  
Tempore quo rapitur studiis feruentibus ætas  
Atque vni incumbens eligere illa solet.  
Non grauis elegit iuuenis certamina Martis,  
Non galea & clypeus, tela nec hasta placent:  
Adiecit Musis mentem sacrisque Camœnis:  
Duxerat has laudi mens generosa sibi.  
Quapropter celebres tendit Germania ad oras,  
Et Clarij coepit carpere montis opes.  
Præcipue assiduus sudauit sacra legendo,  
Percipiens verbi dogmata vera Dei.  
Scilicet ille, geri nil recti posse, putabat,  
Quâm nosset verbi dogmata quisque prius.  
Iamque intra patrios fines vbi fœdere sacro  
Egregiam gentein iunxerat ille sibi:

Immemor

Immemor haud quaquam virtutis pigræ fecutus  
Otia, priuatus sub lare vixit iners:  
Sed potius rapidos ab ouili arceret vt hostes,  
Et falsos vates, maxima cura fuit.  
Tempore namque illo paulatim ingressa sonabat,  
Quæ sacram cœnam, pestis acerba, leuat.  
Sumptibus idcirco posuit pia iura Scholarum,  
Saluificos fontes omnis in orbe boni.  
Nec non accersit diuersâ ex parte Magistros,  
Doctrinâ claros, & pietate viros.  
His se coniunxit tulit æqualemque laborem,  
Erudiens iuuenes artibus usque bonis.  
Hoc sibi præcipuum vitæ decus esse putabat,  
Hoc pluris fluxas quâm faciebat opes.  
Tum verò exemplum post se memorabile linquens,  
Assiduus scriptis tempora fida dedit:  
Deliramenta æternis peruersa libellis  
Vicit, quæ quidam scriperat antè Lupus.  
Quid referam cœtus iuuenum quos ære souebat  
Perciperent verbum qui, pie Christe, tuum?  
O ingens pietas & res dignissima laude,  
Quam celebrare satis guttura nulla queunt.  
Heu quâm dissimiles, quibus est commissa potestas,  
Sæcula nunc cernunt illius acta sequi.  
Hinc latè illius diffusa est vndique virtus,  
Virtus quæ nullo est interitura die.  
Dum roseus terram lustrabit lumine Phœbus,  
Dum mare, dum tellus, dum leuis ignis erit.  
Cum verò miseros nullo discrimine pulset  
Mortales subito mors truculenta manu:  
Clauerat vt quartâ Ianus sua lumina luce,  
His abiens terris cœlica regna petit.  
Hoc easu lachrymans cum Musis Phœbus iniquo,  
Amisso sentit vulnera saeva duce.

K

Non

Non sibi sed Musis plures vixisset in annos  
Quæ fixas sedes & loca tuta dabat.  
Siccine vos agitis parcae : spes maxima nostra,  
Anchora nunc periit, gloria, & omne decus.  
Sed quid vana moror : quem mors semel atra peremis  
Non redit in vitam carcere liber homo.  
Namque Deus fixit fines, hominiisque locauit  
Metas, quas ultra viuere nemo potest.  
Scilicet adduxit nobis hoc culpa parentis  
Rumpentis summi foedera iusta Dei.  
Ergo etiam voluit patris sic alma voluntas  
Ut caderet noster Duxq; gregisq; caput.  
In superas transfert sedes, quæ morte redemit  
Pignora, ne iaceant turbine pressa diu :  
Ante pñ placidâ composti mente quiescunt,  
Quàm mittit pœnas ob malefacta malis.  
Manibus hæc scripsi claris impulsus, alumnus  
Qui quondam fueram vir Generose tuus.  
Gloria perpetuum patriæ decus, inclite fautor,  
Salue post cineres, post pia fata vale.  
Ex misérâ mundi sublatius ad æthera valle  
Vteris aspectu colloquioque Dei.

Thomas Stauffius Rector Scho-  
læ Megalomnicensis.

## A L I V D.

O Curas hominum falsas : ô tristia fati  
Iura : nec excelsis parcere docta viris.  
Viuimus in curis : quas dum componimus, ecce  
Nos terris subito, mors rapit atra, die.  
Non genus aut formam, non spectat stemma parentum,  
In quævis dura corpora lege furit.  
Atq; velut pulchrum spargunt dum gramina florem,  
Messoris fortí falce resecta cadunt,

Sic dum

Sic dum floremus, dum corpus prospéra cingunt,  
Mors durâ subitò corpora falce secat:  
Illa etiam duro prostrauit vulnere fortem  
G R E G O R I V M, clarum nobilitate virum.  
H O R V A T H I I celso M A R C I de stemmate natum,  
Quem celebrat factis Pannona terra suis.  
Qui Turcos summis suppressit viribus hostes,  
Accepit nunquam vulnera, sæpè dedit.  
Sigethi celsis sæcum sub mœnibus hostem  
Sæpè adigit forti vertere terga manu.  
Victorem Turcus sic cernens obstupest:  
Quo pressit, tunc fert Barbarus ipse iugum,  
Sæpè fugam celeri cernas comprehendere cursu  
Hostes, nec visum sæpè timere ducem.  
Sic dum sincero flagrat virtutis amore,  
Virtus quod suadet sedulus atque facit.  
Virtutem summo compensat munere Cæsar:  
Inter Magnates hunc iubet esse viros.  
Gaudia cum læto vultu capit Vngarus omnis,  
Et clarum factis tollit ad astra virum.  
Hæc pater, Haud celso natus minor ipse parente  
G R E G O R I V S, factis magnus & ille suis.  
Artibus hic format mentem iuuenilibus annis:  
Ingenium vera cognitione Dei.  
Hinc maior factus perlustrat Teutonis oras,  
Argentina tuæ fulgida recta Scholæ.  
Italiæ doctas & quas fert Gallia Musas  
Vidit: sic firmas mente parauit opes.  
Impia diuinum temmentia dogmata verbum  
Fugit, tum tricas, Calue sophista, tuas.  
Ac velut externos ferro compresserat hostes  
Atq; oneri iussit subdere colla, pater:  
Natus diuini sic pressit nominis hostes  
Verbo, quod nunquam supprimet illa dies.

K 2

Paupe-

Pauperiem donis idem relevauit opimis,  
Erexit lapsas munere, templa, scholas.  
Succurrit studiis & quos fors atra premebat,  
Sæpius hos largâ iuuuit & ipse manu.  
Ipse etiam iuuenes (rarium decus) ipse, docebat :  
Moribus excultos reddidit, atq; fide.  
Tantus cum fuerit, tali pietate, decore,  
Mors uno nobis hunc rapit atra die.  
Hunc rapit, & longo vincit mors atra sopore,  
Virtutis viuum quem volet esse decus.  
O mors, ô fatum, fusi sors aspera, luctu  
Quanto nos imples & quam pia corda feris ?  
Patronum miseris aufers, Patremq; relictis :  
Aufers insignem nobilitate, fide.  
Ossa licet condas : expers pia fama sepulchri est,  
Hæc nam sub nulla mole sepulta iacet.  
Ipse licet furiat Sathanas, Sathanæq; caterua,  
Et Calui miles scommata dira vomat.  
Non tamen hanc poterit, non, non, submergere famam,  
Corde piæ mentis quæ benè sculpta manet.  
Viuis Horwathi, viuis, nec funera nomen  
Obfuscant : famam tempora nulla regent.  
Existi terris, terræ non tetrica cernis  
Facta, nec es summis obrutus ipse malis.  
Ast nos sentimus diuinis vndiq; poenæ  
Nos hostis plecit, nos mala multa premunt  
Exemptus cunctis, tu tractas cœlica, curis,  
In gremio recubas nunc simul atq; Dei.  
Et cum descendet iudex super oimnia Christus :  
Ipse tuum pulchro cinget honore caput.  
Ceu Phœbus claro splendebit lumine corpus  
Intrabis summi, cœlica regna, Patris.  
Cumq; tuis Christo cœlestia carmina dices,  
Cœlica tunc cernes gaudia lætus : Amen.

Dauid Guttgesell iunior Bartphensis.

## ALIVD.

PHOEbus vt indigna conspexit morte peremptum  
Gregorium, natum sanguine Marce tuo :  
Indoluit capitisque decus, mirabile dictu,  
Concussit tristis terque quaterq; comam :  
Lunatum quoq; quem de humeris suspenderat, Arcum  
Cum Pharetrâ iecit. telaq; pictâ simul.  
Lumine demisso telluri immobilis hæsit  
Tristior, & tales misit ab ore sonos :  
O ego qui longo multis ambagibus errans  
Tempore quæsieram, tecta locoq; nouos :  
Tandem constiteram felix, sedesq; locâram  
Non procul à fluuiis Carpate celse tuis ?  
Hæc mihi Delus erant : hæc Delphica templa vocabam :  
Hæc mihi plus Cyntho culta fuere loca.  
Sed dum Proposito firmo teneoque coloque,  
Hæc loca perpetuum fata morantur iter.  
Horwathus cecidit melioris lumine vitæ.  
Horwathus nostri fama decusque chori.  
Quem penes & pietas & cum pietate voluntas  
Aequi, cumque æquo cura laboreque fuit.  
Armigeræ plenum cœlesti numine pectus  
Gestauit Diuæ : viuere dignus erat.  
Viuere dignus erat, certè moriendo reliquit  
Cordoliumque mihi cordoliumque choro.  
Dixerat & tenebris se commiscuit atris  
Thespiadumque domos Castalidumque petens.

## ALIVD.

HORWATHIDIS, tumulus quam parvus continet artus ?  
Nominis at famam non capit ipse polus.

## A L I V D.

**O** Horwath essem tantus si corpore, quantus  
Es fama, tota non capereris humo.

Per Valentimum Mezleniaden Gwa-  
rinum scripta, discipulum & alumnum  
disciplinæ eiusdem, debitæ cùm obser-  
uantia, tūm recordationis ergo

## A L I V D.

**H**ERO S digne annis multis, cur æthera scandis,

Pro Straſa cœli regna beata petens ?

Nempe hic quæ libris tacito sermone legebas,

Hæc oculis eadem singula plana vides ?

Quæq; ignota prius fuerant, quæ visa remota,

Nota patent: summo perfuerisq; bono.

O multum mihi culte Pater, mihi chare valeto

**G R E G O R I** in æternum: sitque perennis honos.

Nicolaus Horwath Mladossewith.

Marci filij GR. Pædagogus,

## A L I V D.

**H**AEC quoq; præsentem paucis testantia luctum

Quisquis ades placidâ Carmina fronte lege,

Hic quoq; quod capias vitæ communis in usus,

Et te quæ doceant, chare viator, erunt.

Hinc quoq; præsentem disces contemnere luxum,

Vt possis purâ viuere mente Deo.

Gregorius iacet hac Horwath sub mole sepultus,

Stansith qui patrio nomine dictus erat.

Fortè rogas proavis, quævis situe Parentibus ortus ?

Heroum Celebri stemmate natus erat,

Qui fuerit quamuis sat nomine clarus auorum,

Ingenio voluit clarior esse suo :

Nam

Nam mox à teneris (laus quanta) fideliter annis,

Imbiberat summi dogmata pura Dei.

Hinc adeò linguis, doctâ præstabat & arte,

Ferret ut haud similem Pannonis ora virum :

Iustitiâ præstans, nulli pietate secundus,

Et fuerat puræ Religionis amans.

Adde, quod in fæuos diuini numinis hostes,

Plurima pro Christi nomine bella tulit.

Ante alios verò, res hoc velut approbat ipsum,

Lis illi tecum, Calue superbe, fuit.

Te monitis, linguâ, scriptis, precibusque petebat,

Donec in illius Spiritus Ore fuit.

Quid referam quantis, quamque amplis sumptibus olim,

Erexit nostræ limina docta Scholæ ?

Ingenuâ claros præfecit in arte Magistros,

Qui possent animos excoluisse rudes.

Magnificis multos & sumptibus ipse fouebat,

Reddedit & Doctis præmia iusta viris.

Singula quid referam ? nil non laudabile fecit,

Extremum vitæ tempus adusque suæ.

Qui nunc post cineres, & tot certamina vitæ,

Molliter in Christi viuit ouatque finu.

Non secus ergo tuæ traducito tempora vitæ,

Qui cupis æthereæ regna tenere plagæ.

Martinus Bartholomæi Liptouiensis

Scholæ ibidem Alumnus.

## A L I V D.

**M**Eccenas toti famâ notissime mundo,

Ecquid alumnorum non mage fautor eris ?

Surge D E V S præsens miserorum fautor, asylum,

Cum doctis labi ne patiâre Scholam.

Franciscus Herceek Scholæ ditionis

suæ Magnificentæ in Suabolcz R.

ALI-

## ALIVD.

**L**ilia ut in campis ornantur floribus aureis,  
Ros super illa poli donec ab axe pluit.  
Falcibus at subito tellure resecta quiescunt,  
Floribus & pascunt corpora bruta, suis.  
His quoque nos similes, quibus est iuuenilior ætas,  
Viuimus ad tempus, numine dante Dei,  
Incertas velut ergo vides, super æquora cymbas,  
Sic vita hæc, tetro mortis odore ruens.  
Aspice, ab infesto rapidus Mars imminent Istro,  
A siduos luctus, fertque refertq; piis.  
En quoque, qui nuper generosi sanguinis Heros  
Vixit, ab infesta morte vocatus abit.  
Iam decet, ô Iuuenes, lachrymis opplere sepulcharum,  
Versiculis tumulos & decorare pios.  
Hic iuuit sacras pietate & sumptibus Artes,  
Ornatum templis addidit atque pium.  
Aonios fouit, iuuenes, vestiuit egenos,  
Laudibus & statuit magna trophyæ Dei.  
Sed quia nemo potest mortis fera tela cauere,  
Heu celeri nobis funere raptus obit.  
Oppressum corpus tumulo hoc mortale sepultum  
Spiritus Astrorum regna beata colit.  
At te, summe Deus, nos supplice voce rogamus,  
Nos patrocinio, & protege nostra, tuo.  
Atq; Scholam, templumque istud tu linquere noli,  
Plaudere ne quondam, Cinglica turba queat  
Semper sis præstò, Deus optime Maxime nobis,  
Nosque tuo flatu sanctificare velis.  
Dumque hinc postrema cedemus mortis in hora,  
Tellure hac miseros transfer ad astra, D E V S.  
Ioachimus Mokoschinus  
Horwathianus Alumnus.

## ALIVD.

**Q**Visquis es Hungaricis vates venerandus in oris,  
Plurima disparibus carmina iunge modis.  
Mortuus est etenim Meccenas is studiorum.  
Qui viuit Sanctæ religionis opes.  
Qui multos Iuuenes Strasæ nutrire solebat,  
Auxiliis miseros atque iuuare suis.  
Qui nulli fuerat Sancta pietate secundus,  
Cui sacrosancta nil pietate prius.  
Quo fugis alme pater cur hic nos deseris ægros?  
En gerimus luctu pectora plena nouo.  
At saluatoris quoniam fuit ista voluntas  
In Christi placido viue valeque sinu.

Franciscus Segèt puer Nobilis secundæ clavis auditor.

## ALIVD.

**P**L A Ngite pierides: Musarum Rector Apollo,  
Lugenti tristes pectore funde sonos.  
Nam cecidit S T A N S I T H, prælustri stemmate natus,  
Illyricos inter splendida Stella viros.  
Qui doctus doctos magno dignatus honore,  
Promouit Sanctum religionis opus.  
Cingliacos odit syncero pectore coetus,  
Qui te constrictum, maxime Christe, volunt.  
Aere idem largo casus releuabat egentum,  
Auxilium lassis saepius ipse tulit.  
Ergò dole cætus: oculos & pectora planctu,  
Explé: quod pariter principe, patre, cares.  
Sed tam haud nimium: par est qui nomina Christi,  
Gestamus, luctus nos adhibere modum.  
Ipse etenim terris postquam decessit iniquis,  
Inter cœlicolas gaudia mille capit.

Ioannes Vsz. de vifalua.

# EPIGRAMMA.

**G**regorius Stanlith terrā requiescit in istā  
Qui verè tanto nomine dignus erat.  
Nam vigil excubias egit, ne turba luporum  
Affictas Chtisti dilaniaret oves.  
**E**t procul offendas templis ludoq; remouit,  
Quæ turbant veræ religionis opus.  
Hunc igitur fatis Ecclesia luget adeintum,  
Hunc gemit Aonij cœtus vbiique chori.

Mart. Barthol. Lipt.

## PRECATIO IN GYMNASIO NEE- RENSI DIEBVS DOMINICIS ET festis post Concionem Latinam re- citari solita.



ONFITEMVR TIBI DEVS  
Pater, Domine cœli & terræ, quod  
mysterium verbi tui, Euangelium  
salutis, de filio tuo consubstantiali,  
nobis non tantum reuelasti, verūm  
etiam in veritate eius quotidie nos crescere &  
informari benignè concedis: Tibi pro infinita hac  
tua misericordia humilimas gratias agentes sup-  
plicamus, te inuocamus, qui potens es confirmare  
corda nostra: Conserua nos; fac vt constantes  
in agnita veritate & confessione simus salutari,  
ne deserentes sapientiam cœlestem in Euangelio  
patefe.

patefactam, humanæ rationis iudicium, & intel-  
ligentiam carnis, quam tu DEVS infatuasti, & in  
arcanis tuis mysteriis scrutandis, perdidisti, sece-  
mur: Sed vnicè verbo tuo sine Sophistica adhæ-  
rentes, ab omnibus machinis diaboli & hæreti-  
corum tuti, Sanctum nomen tuum celebremus.

Tibi quoque Domine Dominorum suppli-  
camus, cum pro omnibus magistratibus, tum in-  
primis pro Magnifico & Generoso Domino, D.  
Patrono nostro liberalissimo, cum (inlyta Do-  
mina coniuge eius) Generosis liberis, atq; adeò  
vniuersa familia: Fac clementissime Deus, vt  
quam diutissimè superstes sit nobis saluus & inco-  
lumis: Confirmaeum in agnita veritate: benedic  
gubernationi eius omnibusq; conatibus: & fac  
vt tibi seruiat in timore & exultatione.

O Deus Pater & fons omnis misericordiæ,  
benedictu agro eius, & domui, vt cui sumptu nos  
& liberalitate enutrimur, in vera religione insti-  
tuimur, & bonis honestisq; artibus imbuimur, is  
misericordiam tuam & benedictionem sentiat:  
auge tu oleum eius, auge farinam, ne nostra in-  
gratitudine deterritus à consueta liberalitate re-  
mittat. Fac Deus retributor, vt secundum multi-  
tudinem miserationum tuarum præmia largissi-  
ma à te recipiat. Miserere illius, & libera illum in  
die malo: conferua, viuifica, & beatum fac eum in  
terra: Non trade eum in manus inimicorum, sed  
fer illi

fer illi opem', & in die tribulationis eundem exaudi, taluum & in hac, & in futura vita faciens.

Deniq; te Pater cœlestis rogamus, obsecramus: conserua cœtū hunc nostrum Scholasticum: auerte à nobis dogmata prava: semoue turpia exempla: cuncta tolle scandala: ne iuniores multitudinē peccantium cernentes, vestigia eorum imitentur, né ué excusso iugo obedientiæ & subiectionis, carnis indulgeant affectibus, & superiorum vel licentia vel austeritate abusi deteriores reddantur: & sic repugnantes piis honestisq; monitionibus abeant in vias peccatorum: Conserua nos omnes, ô Deus, tam docentes quam discentes, & da, ut diuini Spiritus tui gratia illuminati, tibi grata, nobis salutaria, omnibus diebus vitæ nostræ discamus, do-

ceamus, dicamus, & faciamus, per IESVM

CHRISTVM filium tuum, DOMINVM &  
saluatorem nostrum

A M E N.

F I N I S.





fer illi opem', & in die tribulationis eundem exaudi, taluum & in hac, & in futura vita faciens.

Deniq;te Pater cœlestis rogamus, obsecramus: conserua coetū hunc nostrum Scholasticum: auerte à nobis dogmata prava: semoue turpia exempla: cuncta tolle scandala: ne iuniores multitudinē peccantium cernentes, vestigia eorum imitentur, néue excusso iugo obedientiæ & subiectionis, carnis indulgeant affectibus, & superiorum vel licentia vel austeritate abusi deteriores reddantur: & sic repugnantes piis honestisq; monitionibus abeant in vias peccatorum: Conserua nos omnes, ô Deus, tam docentes quam discentes, & da, vt diuini Spiritus tui gratia illuminati, tibi grata, nobis salutaria, omnibus diebus vitæ nostræ discamus; doceamus, dicamus, & faciamus, per IESVM

CHRISTVM filium tuum, DOMINVM &

saluatorem nostrum

A M E N.

F I N I S.



